SYNTAXIS MORALIS

Ad expeditam Verbi Dei tractationem ex varijs conceptionibus sacræ Scripturæ, ordine Alphabetico concinnata.

Omnibus Verbi Dei Prædicatoribus ad faciliorem dicendi copiam, tanquam apprimè necessaria, destinata.

Tres Indices, vnus Rerum memorabilium, Alter Titulorum siue Verborum, Tertius denique conceptuum Euangelicorum, quo quidquid ad Explicationem omnium Euangeliorum dicendum sit, breuiter ostenditur.

Per R. P. F. Guilielmum Oonselium *Sacr. Th. Licent. Ord. Prædicatorum.*

PARISIIS,

Apud IOANNEM DE LAVNAY, in atrio Scholarum Sorbonicarum.

M. DC. LXV.

Cum Priuilegio Regis & Approbatione.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

LIbellus iste, Lector amantissime, pridem in Belgio editus, in Galliam postmodùm aduectus, summa cum laude à multis exceptus est. Cùm verò breui exemplaribus deficientibus ab omnibus desideraretur, vt eum in vtilitatem Ecclesiæ juris publici facerem, viri docti juxtà & pij complures me impulerunt. Igitur vt limatior & politior prodiret, primoribus & insignioribus ex sacra Facultate Theologis legendum examinandumque obtuli, qui attentè & sedulò perlectum eum calculo suo comprobauerunt: Quippe qui Ecclesiasticis omnibus valdè sit vtilis, præcipuè verò Concionatoribus, qui

in eo copiosam de virtutibus ac vitijs, de præceptis Euangelicis, deque tota ad Christianos mores formandos panoplia, etiam ex tempore differendi materiam inuenturi sint: Cæteris verò qui orationi incumbunt, ad amplam meditationum segetem colligendam maximè conducat. Illum ergo studio & operà Ecclesiastici viri, à plerisque quibus respersus erat, mendis repurgatum, innumeris ad marginem citationibus auctum, sed præsertim copiosissimo Indice, qui est totius libri veluti medulla, locupletatum, Tibi, humanissime Lector, exhibeo. Vbi eum reuolueris, Thesaurum plenum inuenies. Faxit Deus, cuius gratià labor ille susceptus est, vt in suam gloriam & vniuersæ Ecclesiæ vtilitatem vergat. Vale.

INDEX VERBORVM ET TITVLORVM,

In quibus conceptus è fonte Sacræ Scripturæ in hac Syntaxi concinnati fundantur.

INDEX VERBORVM.

Sermo

INDEX VERBORVM.

Finis sine fine Deus.

SYNTAXIS MORALIS Sacræ Scripturæ.

Abſtinentia, Abſtinere, Temperantia. *Vide* Gula.

1 *Abſtinendum à peccatis, multiplici de cauſa.*

2 *Abſtinentiæ ciborum per ieiunium qui fructus.*

1 ABSTINENTIA à peccatis eſt neceſſaria, Primò propter timorem ſuperioris; ſic ſubditus abſtinet ab interdictis. Hinc Tobias filium *ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Secundò propter timorem mortis; ſic infirmus abſtinet à cibis nociuis; nam, vt dicit Eccleſiaſticus, *Qui abſtinens eſt, adijciet ad vitam.* Tertiò propter honorem ſuę conditionis; ſicut nobilis ab inhoneſtis abſtinet. Ideo Apoſtolus: *Hac eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos à fornicatione.* Quartò propter amorem victoriæ habendæ; ſic pugil abſtinet à contrariis. Ideo Petrus: *Obſecro vos tanquam aduenas & pe-*

Abſtinentia ſpiritualis.

Tob. 1.

Cap. 37.

1. *Theſſal* 4.

1. *Pet.* 2.

regrinos abstinere à carnalibus desiderijs. Quintò propter timorem infamiæ; sic honesta coniux abstinet à nutibus inhonestis. Ideo Apostolus: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Sextò ad minuenda debita; sic abstinet debitor à superfluis expensis. Hinc Eccli. *Abstine te à lite, & diminues peccata.* Septimò ad vitanda contagia; sic enim sanus vitat consortia infectorum & insicientium, vt leprosorum, &c. Vnde Sap. Dicunt impij de iusto; *Abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immunditiis.* Octauò propter amorem æquitatis, sicut sapiens à furto. Vnde Eccli. *Sapiens cor, & intelligibile abstinebit à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.*

1. Thess. 5. — Cap. 28. — Sap. 2. — Cap. 3.

Abstinētia corporalis. 2. Abstinentia Ieiunij quatuor bona efficit in ieiunante Primò corporis sanitatem adfert, & vbi est, conseruat. Ideo Medici dietam pręscribunt. 2. Vitia carnalia comprimit: nam ex gula oritur luxuria, inde ira, &c. 3. Mentem purgat & illuminat ad percipiendam gratiam. 4. Virtutes adquirit per sobrietatem. Et 5. præmia confert.

Abundare, Abundantia, Prosperitas.

1. *Abundare sapienter est valde difficile,* *Quia abundantia fortuna est periculosa.*
2. *Abundantia culpa est perniciosa.*
3. *Abundare in virtutibus est quæstuosum & proficuum.*

4. Abundare in gratia est fructuosum.
5. Hanc sequitur abundantia gloria ;quam concomitantur tria.

1. ABundantia siue opulentia in rebus temporalibus & fortunæ,est periculosa propter tria ; quia sic abundans Primò faciliùs offendit Deum ; sicut equus impinguatus recalcitrat, & seruus ditatus Dominum contemnit. Vnde Iob aiebat: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum,cùm ipse dederit omnia.* Secundò contemnit proximum ; sicut superbus contemnit humilem, & diues pauperem. Vnde Plasmist. in persona diuitum : *Quia multùm repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus & despectio superbis.* Tertiò, contemnit ipsum Deum: Luna enim quantò videtur plenior,tantò est remotior à Sole. Et Gallinæ surdæ efficiuntur in Augusto ex abundantia granorum,vnde meritò per Hieremiam Dominus loquitur : *Loquutus sum ad te in abundantia tua, & dixisti : Non audiam.* Quartò polluit ipsum hominem sicut abundantia pluuiæ putrescere facit blada. Hinc Dominus per Ezechielem : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia & saturitas panum & abundantia,* &c.

Abundātia bonorum. Cap. 12. Ps. 122. Cap. 22. Cap. 16.

2. Abundantia in culpa & peccatis, est perniciosa, quia refrigerat charitatis ignem,eumque extinguit, vt Christus dicit Matth. *Et quoniam abundauit iniquitas,*

Abundantia Peccati. Cap. 24.

refrixit Charitas. Et hæc abundantia eſt multiplex. Primò prauitatis in corde, vt
Cap. 1. vermium in ſepulchro. Ideo hortatur D. Iacob. *Abijcientes omnem immunditiam & abundantiam mali.* Secundò doloſitatis in
Pſal. 49. ore, ſicut malarum herbarum in horto occulto. Hinc Pſalmiſta. *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Tertiò proprij ſenſus in opere, ſicut ni-
Eccli. 19. gredinis in Æthiope. Vnde dicitur à Sapiente: *Melior eſt deficiens ſenſu proprio in timore Dei, quàm qui abundat ſenſu.* Et hanc abundantiam ſequitur abundantia gehennæ, iuxta Pſalmiſtam: *Retribuet abundan-*
Pſal. 30. *ter facientibus ſuperbiam.*

Abundantia virtutis. 3. Abundare in virtutibus, eſt quæſtuoſum & proficuum, vt dicit Salomon: *In*
Prou. 15. *abundantia Iuſtitia, virtus maxima eſt.* Igitur abundare debet homo Primò fide, ſicut aër abundat luce, per diſcuſſionem nebularum, vt docet Apoſtolus: *In omni-*
1. Cor. 8. *bus*, inquit, *abundetis fide.* Secundò ſpe, ſicut agricola certitudine fructus, per inſpectionem florum. Hinc Apoſt. *Abundetis*
Rom. 15. *in ſpe*, vbi Gloſſa, vt ſitis certiores de æterna beatitudine. Tertiò charitate, ſicut fornax igne, per flatum & lignorum appoſi-
Phil. 1. tionem. Hinc Apoſt. *Hoc oro vt charitas veſtra magis ac magis abundet.* Quartò prudentiâ, ſicut terra argento, per prouidentiã
Reg. 10. artificum. Vnde Salomon fecit vt *tanta eſ-*
Pet. 4 *ſet abundantia argenti*, &c. Et Apoſtolus: *Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus.*

Quintò fortitudine, ſicut puer per incrementum corporis & vigorem exemplorum. Vnde Apoſt. *Abundetis in ſpe & virtute Spiritûs ſancti*, id eſt, in fortitudine, quam dat Spiritus ſanctus. Sextò, temperantiâ; ſicut peregrinus ordinans iter, & dietam; Vnde dicitur: *Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in bono.* Tandem Septimò abundare debet homo iuſtitiâ, ſicut arbor bona fructu, pro tempore. Hinc dicitur: *Obaudite me diuini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum* gratiæ *fructificate.* Et Apoſtolus: *Repleti fructu Iuſtitia.* Rom. 15. Eccli. 11. Eccli. 39. Philip. 1.

4. Abundantia gratiæ eſt fructuoſa. De qua Apoſtolus: *Superabundauit gratia, vbi abundauit delictum.* Et hæc eſt multiplex. Primò charitatis in corde, ſicut coloris in aëre. Hinc Apoſt. *Habeatis eos abundantiùs in charitate.* Secundò veritatis in ore, ſicut florum in arbore. Vnde dicitur. *Lingua Eucharis in bono homine abundauit.* Tertiò, ſanctitatis in opere, ſicut fructuum in meſſe. Hinc Apoſt. *Abundetis in omne opus bonum.* Quartò, patientiæ in tribulatione, ſicut odoris in tunſione aromatum. Vnde Apoſt. *Superabundo gaudio in tribulatione mea.* Abundantia. Gratiæ. Rom. 5. 1. Theſſal. 5. Eccli. 6. 2. Cor. 9. 2. Cor. 7.

5. Hanc gratiæ abundantiam ſequitur abundantia gloriæ in remuneratione; de qua dicitur: *Dominus Deus introducet te in terram*, &c. Et paulò poſt, *Vbi abſque* Abundantia. Gloriæ. Deut. 8.

penuria comedes panem tuum ; & rerum omnium abundantiâ perfrueris. Hanc gloriæ abundantiam concomitatur Primò securitas, vt dicitur Prouerb. *Qui me audierit, absque terrore requiescet, & abundantiâ rerum perfruetur, timore malorum sublato.* Secundò jucunditas, iuxta Ps. *Valles*, id est, humiles, *abundabunt frumento, clamabunt, etenim hymnum dicent.* Tertiò æternitas. Hinc Psal. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

Cap. 1. *Psal. 64.* *Psal. 84.*

Accusare. *Vide* Excusare.

Adoptio.

Adoptio est duplex, gratia & gloria.

Adoptio per gratiam.

ADoptionis beneficium, fit primò per gratiam, quâ homo iustificatus per Spiritum sanctum, efficitur verè filius Dei adoptiuus. De quo Apost. *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum filiorum Dei in quo clamamus, abba Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddidit spiritui nostro quòd sumus filij Dei.* Cùm enim per Spiritum sanctum, spiritus noster bona agit, in hoc quasi signo certificat, quòd sumus filij Dei. Est enim Spiritus sanctus, obligans nos vt subiectos & debitores, agens nos obedientes & promptos, adoptans aman-

Rom. 8.

tes nos vt filios promptos, testificans nos gaudentes & securos de gratia adoptionis.

2. Alia est adoptio per gloriam, de qua Apostolus: *Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Et alibi: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis eius*, &c. Vnde sicut redemptio notat glorificationem corporis & animæ, ita adoptio solam notat fruitionẽ animæ. Per gloriam. Rom. 8. Philip. 3.

Aduentus. *Vide* Incarnatio.

Ambulatio, Ambulare, Via.

1. *Ambulandum cautè quomodo.*
2. *Ambulandum spiritu per multas vias.*
3. *Ambulandum spiritu in septem ad similitudinem ambulationis corporalis.*
4. *Ambulare dignè Deo est cum eo ambulare quadruplici via.*

1. AMbulare debet homo tanquam viator & peregrinus, & quidem cautè in hoc seculo: Primò cum consortio bonæ societatis. Quapropter Genes. dicitur: *Non est bonum, hominem esse solum.* Et Ecclesiastici: *Va soli, quia cùm ceciderit non habet subleuantem se.* Secundò non sine lumine discretionis. Vnde Ioan. Apost. *Qui ambulat in tenebris nescit quò vadat.* Et, *Qui ambulat in nocte, offendit.* Tertiò cum viatico refectionis, id est, diuini sermonis. Vnde dicit Saluator: *Si dimisero eos ieiu-* Ambulandum cautè. Gen. 2. Cap. 4. 1. cap. 2. Ioan. 11. Marci. 8.

3. Reg. 19. *nos, deficient in via.* Et Helias *perrexit in fortitudine cibi illius* (scilicet panis subcinericij) *vsque ad montem Dei Horeb.* Quartò non sine armatura defensionis. Hinc Apost. *Induamur arma lucis.* Et, *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die mala.* *Rom. 13.* *Ephes. 6.*

Spiritu. 2. Spiritu ambulandum, id est, secundùm ductum Spiritus sancti (iuxta, illud, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*) per sex vias. Primò viâ pœnitentiæ: De qua Moyses, *Ibimus viam trium dierum in solitudine,* id est, viam contritionis, confessionis, & satisfactionis. Secundò viâ innocentiæ, in cautelam futurorum. Vnde Ps. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Tertiò est via obedientiæ in obseruantia mandatorum. Vnde Regius Propheta: *Viam mandatorum tuorum cucurri, dum dilatasti cor meum.* Quartò est via charitatis & misericordiæ, in subuentione proximorum: Et hæc est excellẽtior via, de qua Apostolus: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Quintò est via pacis & concordiæ, in tranquillitate morum. Ideo Christus venit *illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.* Tandem Sextò est via veritatis & iustitiæ, in rectitudine operum: de qua Psalm. *Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.* *Sap. 10.* *Exod. 3.* *Psal. 118.* *Ibid.* *1. Cor. 12.* *Luc. 1.* *Ps. 118.*

Fructuosè. 3. Ad hoc autem vt quis ambulet Spiritu, fructuosè, septem sunt eidem necessa-

ria, ad similitudinem eius qui iter conficit temporali via. Primò est ipsi necessarium lumen fidei, scilicet, vt non solùm locum quò proficiscitur agnoscat, sed & viam. Vnde dicitur Ioan. *Si quis ambulat in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.* Cap. 11.
Et, *Duodecim sunt horæ diei; Ambulate dum lucem habetis.* Et Apost. *Per fidem ambulamus, & non per speciem.* Secundò, confidentia & spes, vt ad patriam perueniat. 2. Cor. 5.
Vnde Esaiæ dicitur: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient.* Tertiò amor patriæ, vt ille dulcescere faciat laborem itineris. Cap. 40.
Vnde dicit D. Ioan. *Maiorem hac non habeo gratiam, quàm vt audiam Filios meos in charitate ambulare.* Et Epistola 3.
Apostolus: *Ambulate in dilectione.* Quartò rectitudo viæ; ne ab ea deuietur, quod fit per prudentiam. Ephes. 5.
Vnde Salomon: *Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per viam prudentiæ.* Et Apost.. *Videte quomodo cautè ambuletis.* Prou. 9. Ephes. 5.
Quintò sobrietas modestiæ, ne viator superfluis grauetur. Vnde Apost. *Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis.* Gal. 5.
Et Psalmista: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Ps. 100.
Hanc sobrietatem confert temperantiæ virtus, quæ aufert superflua, necessarijs contenta. Hinc Apost. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus.* 1. Tim. 6.
Sextò vigor personæ, ne deficiat per infirmitatem aut debilitatem. Vnde illa sancta ani-

Cap. 1. malia quæ vidit Ezechiel, *coram facie sua ambulabant: nec reuertebantur cùm ambularent.* Tandem Septimò, necessarius est decor Iustitię, vt vnicuique quod debitum
Osea. 14. est faciat. Vnde Oseas ait: *Recta via Domini, iusti ambulabunt in ea.* Et Malach. *In*
Cap. 2.
Prou. 8 *pace & æquitate ambulauit mecum.* Et Salomon. *In viis iustitiæ ambulabo, in medio semitarum iudicij.*

Dignè Deo 4. Dignè Deo tandem ambulare debemus. Primò cum ipso Deo per viam pacis, vt
Mal. 2. ipse ait per Prophetam de viro iusto: *In pace & æquitate ambulauit mecum.* Secun-
Cap. 14. dò, per viam puritatis. Vnde Apocal. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Ter-
Gen. 6. tiò per viam iustitiæ: *Noe enim vir iustus cum Deo ambulauit.* Tandem 4. per viam
Gen. 5. Innocentiæ, *Enoch etenim cum Deo ambulauit, & non apparuit, quia tulit eum Deus.*

Amor Dei, Dilectio. *Vide* Charitas.

1. *Diligi solet res aliqua propter quinque.*
2. *Dilectionis plenitudo plures imperfectionis vacuitates excludit.*
3. *Diligendus Deus & qua ratione.*
4. *Dilectionem mutuam monent plura.*
5. *Amare Christum omnia astringunt.*
6. *Amor Christi vrget Sanctos ad multa.*

Amoris causæ. 1. Etsi non facilè inclinatur voluntas in rem incognitam, tamen res ali-

qua, voluntatis beneuolentiâ, aut concupiscentiâ amatur; Primò propter recentem & splendidum colorem, sicut elegans pictura diligitur: Sic amandus est Christus *qui est splendor gloriæ.* Secundò propter venustam dispositionem: Sic amatur pulchra domus, pulchra & venusta facies. Christus autem *est figura substantiæ Patris,* & gloria Sanctorum omnium, quare diligendus meritò est, iuxta illud: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Tertiò propter magnam potestatem, sicut amatur filius Regis ac Principis. Christus verò *omnia portat verbo virtutis suæ.* Quartò propter propriam & communem vtilitatem, sicut diligitur bonus iustitiæ administrator. Christus autem *facit purgationem peccatorum.* Quintò tandem propter dignitatem seu nobilitatem, sicut aurum & lapides pretiosi, & vita humana nostra. Christus ergo diligendus, quia *sedet ad dexteram maiestatis Dei in excelsis.*

Heb. 1. *Ibid.* *Psal. 24.* *Heb. 1.* *Ibid.* *Ibidem.*

2. Amor autem, aut dilectionis plenitudo, plurimas vacuitates imperfectionum excludit: & quidem Primò, excludit imperfectionem ignorantiæ à rationali potentia. Vnde meritò Sapiens: *Qui timetis Dominum diligite illum.* Et D. Ioan. *Qui diligit fratrem suum in lumine est.* Secundò tristitiæ ab irascibili. Vnde Sapiens: *Vinum & musica lætificant cor, & super vtrumque dilectio.* Et Psalm. *Gloriabuntur in te omnes*

Amor Imperfectiones excludit.

Eccli. 2. *1. Ioa. 2.* *Eccli. 40.* *Psal. 5.*

qui diligunt nomen tuum. Tertiò concupiscentiæ malæ à concupiscibili. Vnde Christus: *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum diliget, & alterum odio habebit.* Quartò ingratitudinis. Vnde dicit D. Ioan. *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Quintò timoris seruilis. Vnde Apost. *Non dedit nobis Dominus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis.* Et, *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Sextò instabilitatis siue amoris carnalis. Vnde Salom. *Fortis est vt mors dilectio.* Et, *Aqua multa* (carnalium voluptatum) *non poterunt extinguere charitatem.* Septimò pigritiæ ac rebellionis. Vnde Salomon: *Fidelis in dilectione adquiescet ei.* Octauò inuidiæ ac rancoris. Vnde dicitur, *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Nonò torporis ac dormitionis. Vnde de Ioanne dicitur: *Ioannes cucurit citiùs Petro.* Cuius rationem dat D. Greg. Qui amat ardentiùs cucurrit velociùs & peruenit citiùs. Decimò simulationis ac hypocrisis. Vnde dicit D. Ioan. *Filioli non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Vndecimò, mercenariæ cupiditatis. Nam vt dicit Apost. *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Tandem duodecimò elationis. Vnde Apost. *Charitas non est ambitiosa.* Ex quibus sequitur, quòd dilectio reddit doctum, euacuando ignorantiam; lætum, euacuando tristitiam; purum, tollendo concupiscentiam; gratum, fugando ingratitudinem; securum,

Matt. 5.
1. cap. 4.
2. Tim 1.
1. Ioan. 3.
Cant. 8.
Sap. 3.
1. Ioa. 3.
Ioan. 21.
1. Ioan. 3.
1. Cor. 13.
Ibid.

emittendo timorem ſeruilem; firmum, roborando inſtabilitatem; ſubditum, deteſtando inobedientiam; pium, excludendo rancorem; feruidum, negligendo pigritiam; verum, annullando ſimulationem; largum, expellendo cupiditatem; & humilem, extirpando inflationem.

3. Dilectionem verò proximi, ſiue mutuam promouent multa: & in primis debitum naturæ, à quo nullus poteſt abſolui. Nemo enim ita inſanit, qui non ſoluit debitum, quod ſolutum poſſidebit, & non ſolutum amittet: & hoc debitum eſt dilectio mutua. Vnde Apoſt. *Nemini quidquam debeatis, quàm vt inuicem diligatis.* Secundò præceptum, à quo nullus poteſt excuſari. Nam pauperes excuſantur à dando, debiles à transfretando, claudi à ſaltando & pugnando; omnes tamen poſſunt diligere Deum & proximum; pauperes, diuites, debiles & infirmi. Ideo Chriſtus Ioan. *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Tertiò documentum, quod nõ poteſt conuinci falſitatis. Natura enim docet, quòd omne animal diligit ſibi ſimile, & quælibet Scriptura. Vnde Apoſt. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes.* Et alibi. *Ipſi à Deo didiciſtis.* Et D. Petrus: *Simplici ex corde, inuicem diligite attentiùs.* Quartò collegium, à quo nullus debet excludi. Omnis qui diſcere vult, accedit ſcholas melioris & vtilioris magiſtri. Ideo Chriſtus: *In hoc cognoſcent omnes, quòd mei*

Dilectionis proximi cauſæ

Rom. 13.

Cap. 15.

Rom. 12.

1. Th ſſ. 4.

1. Cap. 1.

Ioan. 13.

estis discipuli, si dilectionem ad inuicem habueritis. Facilis reuera doctrina & vtilis, doctrina charitatis. Quintò bonum, quod plus diffusum, oportet augeri. Ideo prouidus agricola dispergit semen vt multiplicetur. Tale quid est charitas. Vnde Apost.
1. Thess. 4. *Dominus multiplicet vos & abundare faciat.*
4. 1. Ioan. 4. Et, *Charissimi diligamus inuicem, quia charitas ex Deo est.* Sextò exemplum quod ab omnibus debet imitari. Est enim filiofamilias decorum & honorificum imitari parentem in actibus heroicis. Deum autem Patrem imitamur per charitatis dilectionem. Hinc dicitur: *Si Deus dilexit*
Ibidem. Ephes. 5. *nos, & nos debemus inuicem diligere.* Et Apost. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione.* Tandem Septimò commodum, sine quo nullus potest saluari. Si enim laboramus propter salutem corporalem, quantò ampliùs propter spiritualem? Vnde dilectus Dis-
1. Ioan. 4 cipulus; *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet.*

Deus cur amãdus. 4. Quantopere verò Deus amandus sit, patet ex eo, quòd operatur in nobis tam potenter, quia confirmat nos: tam suauiter, quia vngit nos: tam prudenter, quia signat nos; & tam certitudinaliter, quia dat pignus in cordibus nostris: quæ om-
2. Cor. 2. nia complexus est Apost. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit nobis pignus spiritus in cordibus nostris.*

5. Amare autem Christum omnia astringunt quæ pro nobis fecit; liberauit enim nos in articulo necessitatis, in periculo infirmitatis, per assumptionem carnis passibilis, per passionem turpissimæ mortis, & ad deletionem peccati, & ad iustificationem impij: ergo adiuuit nos fideliter. Quæ omnia Apostolus vnâ sententiâ complexus est, *nam quod impossibile erat legi*, inquit, *in qua homo infirmabatur per carnem, Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio impleretur in nobis.*

Cur Christus. Rom. 8.

6. Quare meritò Sanctos & Christi amatores vrget charitas & dilectio eius. Primò ad contemptum mundi. Vnde Petrus & Andreas continuò *relictis omnibus, sequuti sunt Christum.* Secundò ad Christum sequendum. Nam sic Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia & sequuti sumus te.* Tertiò ad desiderium mortis. Sic Apost. *cupiens dissolui & esse cum Christo.* Quartò ad diuinæ visionis desiderium. Vnde Psalmista: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Quintò ad subeundum martyrium. Hinc D. Petrus, *Tecum paratus sum*, inquit, *& in carcerem & in mortem ire.* Sextò ad contemplationem cœlestium; ignis enim semper tendit sursùm. Septimò ad ædificationem proximi. Vnde Apost. *Quis scandalizatur & ego non vror?* Et, *Charitas Christi vrget nos.* Octauò ad compassionem

Cur à Sanctis. Matth. 4. Matth. 19. Philip. 1. Psal. 41. Luc. 22. 1. Cor. 11. Ibid.

miserorum. Sic Apostolus: *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Tandem Nonò ad correctionẽ delinquentium. Hinc Esaïas: *Egredietur virga* (id est, correctio.) *de radice Iesse*, id est, de incendio charitatis.
cap. 11.

Angeli.

1 *Angelica natura cur liberata non sit.*
2. *Angeli habent septem perfectiones, quas imitari debent Prælati.*
3. *Angeli multipliciter ministrant electis.*
4. *Angeli in adiutorium missi iuuant nos contra culpam, contra pugnam, contra pœnam, & ad gloriam.*

Angeli non redempti.

1. ANgelica natura, sicut humana, à Christo liberata non est: cuius prima est ratio, quia Angelus per se sine alio instigante cecidit, ideo non debuit per alium releuari. Secundò, quia cùm tota natura humana cecidit, omnino homo fuisset frustratus suo fine, nisi reparatus fuisset; non sic Angelica natura tota cecidit, sed in parte, & ideo non fuit totaliter frustrata fine suo. Tertiò, quia reparatio Angelicæ naturæ non proficeret Vniuerso, sicut reparatio naturæ humanæ. In hoc enim quòd natura humana reparatur, quasi tota vniuersitas creaturarum reparatur. Est enim homo quasi omnis creatura in genere, non verò Angelus. Quartò, quia

quia Angelus non poteſt eſſe ſine propria perſonalitate, ex duabus autem perſonis nihil vnum fit. Homo autem poteſt eſſe ſine propria perſonalitate, & ideo natura humana ſubſiſtit in perſona diuina, & ex iſtis duobus fit vnum quid.

2. Angelorum multiplex eſt perfectio. Primò ratione officij; nam habent voluntatem Dei manifeſtare. Hinc Eſaïas: *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt.* Secundò ratione hierarchicæ prælationis. Nam vnus Angelus præficitur alteri, & eſt inter eos prælatio. Vnde Prælati Angeli vocantur. Tertiò ratione cœleſtium & diuinarum contemplationum. *Reuelatâ enim facie gloriam Dei ſpeculantur.* Quartò ratione puritatis vitæ, & naturæ: eſt enim ſpiritualis naturæ, nihil habens impuritatis admixtum. Quintò ratione plenitudinis cognitionis; vident enim omnia in Verbo. Sextò tandem propter charitatis feruorem, & vehementem ad Deum inhæſionem. Quas omnes perfectiones Prælati, qui & Angeli dicuntur, imitari debent.

Angelorum perfectiones. *Eſaia 33.* *Apoc. 2.* *2. Cor. 12.*

3. Angeli verò multipliciter miniſtrant electis. Primò à periculis liberando, vt patet in Loth & Tobia iuniore. Secũdò à perſequutoribus protegendo. Sic liberarunt Filios Iſraël ab Ægyptiis. Tertiò eorũ inimicos interficiendo, vt patet in Sennacherib. Quartò impugnationes Dæmonum ab eis arcendo: *ſic Raphaël Angelus Dæmo-*

Miniſteria. *Gen. 19.* *Tobio. 3.* *Exod. 14.* *Eſai. 28.* *Tob. 8.*

nem Asmodæum ligauit. Quintò eos bonis
Luc. 2. nuncijs consolando: sic pastores in Bethle-
Tob. 12. hem Angelico concentu & nuntiata Chri-
sti natiuitate consolati sunt. Sextò ab in-
firmitatibus sanando: sic sanatus est To-
bias Senior à cæcitate. Septimò secreta
cœlestia reuelando, prout Gabriel B. Vir-
Luc. 1. gini reuelauit Incarnationem Filij Dej.
Octauò eorum orationes præsentando.
Tob. 12. Hinc Angelus Raphaël: *Quando orabas,* in-
quit, *cum lachrymis, ego obtuli orationem
tuam Domino.* Nonò eorum animas ad cœ-
Luc. 16. lum deferendo, vt patet de Lazari anima.
Adiutorium. 4. Angeli mittuntur in adiutorium, iux-
ta Apost. *Eorum qui hæreditatem capiunt*
Heb. 1. *salutis.* Primò eos iuuando contra culpam.
Illuminando oculos cordis ad contritio-
Tob. 11. nem. Hinc Raphaël dixit Tobiæ: *Tolle te-
cum de felle piscis, erit tibi necessarium.* Pur-
gando labia ad confessionem: sic purga-
Esai. 6. turus Esaïam, *volauit ad eum vnus de Se-
raphim,* &c. Congaudendo ad satisfactio-
Luc. 14. nem. Est enim *gaudium Angelis super vno
peccatore pœnitentiam agente.* Secundò iu-
Iob. 8. uant contra pugnam, arcendo dæmonis
Apoc. 20. potestatem, vt patet suprà de Asmodæo.
Et *Angelus ligauit Diabolum & misit in
abyssum.* Tollendo nociuam societa-
Gen. 19. tem, vt patet in Loth & Sodomis.
Conferendo crucis iuuamen. Vnde apud
Ezech. 9. Ezechielem. *Angeli signarunt frontes viro-
rum signo thau.* Et, *Angelis dictum est, Noli-
te nocere terræ,* &c. *donec signemus seruos*

Dei nostri in frontibus eorum. Tertiò iuuant contra pœnam, confortando, vt patet in Angelo qui apparuit Christo *confortans eum.* Conseruando, nam vt ait Psalm. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Mitigando, nam *Angelus Domini descendit cum Azaria & sociis eius in fornacem.* Quartò ad gloriam, viam præparando, vt dicitur Malach. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam.* Merita præsentando, vt patet suprà; Et animas deferendo.

Luc. 22. *Psal. 90.* *Dan. 3.* *Cap. 3.*

Anima. *Vide* Homo.

1. *Anima humana quæ excellentia.*
2. *Anima cur corpori vnita.*
3. *Anima ex vnione ad carnem contrahit plura incommoda.*
4. *Anima habet triplicem potentiam.*

1. INter animæ rationalis excellentias, illa prima videtur, quòd ad imaginem & similitudinem Dei creata sit; quæ consistit in eo, quòd cum Deo vitam habet perpetuam, atque per memoriam sit Patri similis, per intellectum Filio,& per voluntatem Spiritui sancto. Deinde quòd capax sit virtutis ac vitij, arbitrio libera, susceptibilis proinde præmij vel pœnæ. Tertiò, quòd sit habitibus & passionibus condecorata,careat pondere,figura & colore. Quartò quòd magna sit & recta, ac

Animæ excellentiæ.

beata. Magna, quia capax æterni boni, ac æternitatis. Recta verò, quòd naturaliter sit appetens bonitatis. Beata tandem, quòd particeps sit Deitatis.

Bona vnionis animæ cum corpore.

2. Cur verò substantia tam excellens corpori vnita sit, plures sunt rationes. Prima sit, vt scilicet per coniunctionem dissparium naturarum erigatur mens nostra ad sperandam illam vnionem, quæ erit inter animam & spiritum increatum. Secunda, vt anima seruiendo Deo in corpore, habeat maius meritum, quia vbi maior pugna, ibi erit maior victoria, & per consequens maior corona. Difficultas enim operis, multùm valet ad efficaciam merendi. Tertia est propter complementum Vniuersi. Cùm enim quædam esset creatura purè spiritualis, quædam purè corporalis, conueniens fuit fieri mixtam quandam, partim scilicet spiritualem, & partim corporalem. Quarta, quia sicut corpus viuum valet ad fructum pœnitentiæ, sic post mortem resuscitatum valebit ad consequutionem stolæ duplicatæ, quia non solùm anima, sed & corpus præmiabitur dote sua. Quinta tandem, vt homo ex defectibus corporis multam habeat materiam humiliationis, iuxta illud: *Humiliatio tua in medio tui.*

Michea 6.

Vnionis istius incómoda.

3. Sicut autem anima ex coniunctione ad corpus plura consequitur bona: sic & multa trahit incommoda. Primò peccati Originalis, inquinationem. Vnde dicit Iob:

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Et Psal. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Secundò, concupiscentiæ & peccandi pronitatem. Vnde Apost. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Et Deus ipse: *Proni sunt sensus hominis ad malum, ab adolescentia sua.* Tertiò benè operandi difficultatem. Vnde Saluator: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et Salomon. *Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerunt vrticæ.* Quartò, intellectus hebetudinem, & cognitionis obscuritatem. Vnde Salomon: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem.* Quintò, curarum superfluarum sollicitudinem. Hinc Saluator, *Vt quid solliciti estis animæ vestræ dicendo: Quid manducabimus, &c.* Et Apost. *Ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus exspoliari, sed superuestiri.* Sextò, continuam impugnationem. Vnde Apost. *Non est nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinem,* tantummodò scilicet, *sed aduersus principatus & potestates, &c.* Et, *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Septimò, perpetuam passionum anxietatem & multiplicitatem: Vnde Propheta Iob: *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miseriis.* Tandem Octauò, gloriæ dilationem ac retardationem, quam percipere non possumus quandiu in corpore detinemur. Hinc Apost. *Bonam voluntatem habe-*

Cap. 14. *Psal. 50.* *Gal. 5.* *Genes. 8.* *Matth. 26* *Prou. 24.* *Sap. 9.* *Matth. 5.* *2. Cor. 5.* *Gal. 5.* *Cap. 13.* *2. Cor. 5.*

mus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Et, *Cupientes dissolui & esse cum Christo.* Et Psal. *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est.*

Philip. 1. Psal. 119.

Animæ facultates.

4. Triplex autem est potentia in anima, secundum triplicem actum, qui est vegetare, sentire, & raciocinari; ex quibus exurgit triplex potentia; vegetatiua scilicet, quæ corpus viuificat; sensitiua, quæ corpus mouet, & sensificat; & intellectiua siue rationalis, quâ anima intelligit & considerat. De quibus dicit Ambrosius, quòd anima vegetabilis appetit esse, sensibilis benè esse, rationalis optimè esse, & ideò nunquam quiescit donec optimo, quod Deus est, iungatur, & propter hoc, vi amoris in Deum mouetur, tanquam ad centrum, vt in ipso summè delectetur. Et hic est finis animæ rationalis, ad quam creata est, vt perpetuò contempletur visione intellectuali, abyssalem Dei bonitatem, & infinitam gloriam summæ ac diuinæ Maiestatis, quàm reuera non capit nisi imago sua.

Antichristus.

1. *Antichristi nomen quid importet, & an significet dignitatem aut sedem, an verò particularem personam.*
2. *Tempus Antichristi, an certum, & quæ signa aduentus eius ex Scripturis.*
3. *Antichristi ortus, progressus, modus agendi, vita & mors breuiter.*

1. NOmen Antichristi solum significat aliquam particularem aut personam aut hominem, Christo Filio Dei viui contrariam, non quomodocunque; sed ita, vt cum eo de sede & dignitate decertet, id est, qui sit æmulus Christi, & vellet haberi Christus, deiecto eo, qui verè est Christus, & Saluator mundi. Et quandoque accipitur pro omni eo, qui quoquo modo Christum oppugnat. Vt apud Ioannem: *Audistis,* inquit ille, *quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sũt.* Igitur Antichristi persona dicitur ab Apost. *Homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur* (Christo scilicet) *& extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, qui sessurus est in tẽplo Dei, ostendens, se tanquam sit Deus, qui operatur ex nunc* (per antecessores suos hæreticos) *mysterium iniquitatis,* id est, falsum cultum Dei, erroris & impietatis scandala, sub prætextu pietatis grauissima crimina: Et D. Ioannes dicit quòd *negat Iesum esse Christum*, vt scilicet seipsum pro Christo venditet. Quare malè & ineptè hæretici trahunt hoc nomen Antichristus, ad sedem aut dignitatem, cùm vbique locorum Sacra Scriptura illud personæ singulari applicat, vt ex dictis patet. Quare Pontifex Romanus, qui Vicarius Christi est in terris, quia successor est Petri, cui commisit Christus agnos suos, & tradidit claues Regni Cœlorum, & potestatem ligandi, atque sol-

Antichristi nomen quid denotet.

1. Ioan. 2.
2. Thess. 2.

uendi, nulla ratione hoc nomine vocari potest, etiam si falsò se diceret Christi Vicarium, cùm ideo Christi aduersarius conuinci non potest, cùm nec in eo *negat Iesum esse* Christum, nec *extollitur super omne quod dicitur aut colitur Deus.*

Antich. aduentus. 2. Tempus aduentus eius erit circa finem mundi: quare necdum eum venisse certum est. Incertum autem est tempus aduentus eius, sicut & dies iudicij incertus est. Sic Saluator: *Non est vestrum, nosse tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* (Act. 1.) Item secundò erit nouissimum. Hinc dilectus Discipulus Ioan. *Filioli nouissima hora est & audistis quia Antichristus venit.* (1. Ioan. 2.) Erit tertiò tempus periculosum, vt rectè Apostolus: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Erit quartò tempus modicum, quia, vt prædixit Christus, *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ad initio mundi vsque modo, neque fiet, & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* (Matth. 24.) Durabit iuxta Doctorum opinionem, tribus annis cum medio. Sex tamen signa aduentus Antichristi dedit Spiritus sanctus in Sacra Scriptura, quorum nullum adhuc videmus impletum. Primum est, prædicatio Euangelij in toto mundo, iuxta illud Christi: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso mundo in testimonium omnibus gentibus.* (Matth. 24.) Secundum est Imperij Romani desolatio. Vnde

Apost.

Apost. *Quoniam nisi venerit discessio primum*, non tantum à fide, sed omnium principum à Romano Imperio, ita vt non sit Rex Romanorum, aut Imperator, non erit dies Domini. Et hæc duo signa antecedent tempus Antichristi. Tertium signum est Heliæ & Henoch prædicatio. Sic Dominus per Malach. *Ecce ego mittam Heliam Prophetam, antequàm veniet dies Domini magnus*. Et Apoc. *Dabo duobus testibus meis Helia & Henoch, & prophetabũt diebus mille ducentis sexaginta*. Quartum est, persecutio maxima & nouissima, ita vt publica sacra omninò cessent, patet suprà ex verbis Christi, tum ex eo quod Satanas soluetur, vt dicitur Apoc. & descendet tunc Diabolus, habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. Et hæc duo signa sunt aduentum Antichristi concomitantia. Quintum signum erit interitus Antichristi post tres annos cùm dimidio. De interitu clarè Apost. *Quem Dominus Iesus*, inquit, *interficiet spiritu oris sui*. De annis verò patet, ex diebus prædicationis Heliæ & Henoch, qui faciunt annos prædictos, & ex mensibus, quadraginta duobus, quibus D. Ioannes dicit Antichristum regnaturum, qui faciunt totidem annos. Sextum signum erit finis mundi; & hæc duo signa sequentur tempus Antichristi.

2. Thess. 2. *Cap. 4.* *Cap. 11.* *Cap. 20. & 12.* *2. Thess. 2.* *Apoc. 11.*

3. Concipietur Antichristus ex parentum semine, non autem ex Diabolo incubo, vt Conceptus eius.

plurimi putant, & post conceptum descendet Spiritus malignus in vterum matris, cuius operatione puer nascetur, aletur; nascetur ex tribu Dan, veniet in Hierusalem, dicet Iudæis se esse Messiam illis promissum. Vnde plebs Iudaica specialiter adhærebit ei. Erit perditissimus vitâ & moribus, in aperto tamen simulans sanctitatem. Dicet se filium Dei, & faciet se adorari vt Deum, subuertere conabitur totum mundum, à fide in Deum & Christum. Vtetur enim sapientiâ verborum, simulatione virtutum, testimonio Scripturarum, operatione miraculorum, promissione diuitiarum, terrore persequutionum: malos attrahet per munera, bonos per tormenta, simplices per prædicationem & miracula, tandem occisis Heliâ & Henoch quindecim dies regnabit, volet ascendere Dæmonis arte in cœlum, sed Dominus deijciet eum, & interficiet in monte Oliueti. Post cuius obitum dabit Dominus seductis tempus resipiscentiæ, & Iudæi conuertentur ad fidem, & Sancta Ecclesia
1. Cor. 15. quiescet, donec Christus *tradiderit regnum Deo Patri* in secula seculorum.

Apostoli. *Vide* Euangelium.
Doctrina.

1. *Apostolorum quatuor genera.*
2. *Apostolorum Epitheta.*
3. *Apostolis dedit Deus Spiritum Sanctum.*

4. *Apostolorum doctrina confirmata fuit multipliciter.*

1. APostolus dicitur & interpretatur missus, & notandum quòd, quatuor sunt genera Apostolorum, secundùm quatuor modos mittẽdi. Mittuntur enim quidam à Deo immediatè; sic Moyses missus fuit, *Veni vt mittam te ad Pharaonem.* Quidam verò mittuntur à Deo per hominem; sic Iosue missus est, nam repletus fuit spiritu Sapientiæ, quia *Moyses posuit super eum manus suas.* Quidam per homines solùm, vt Scribæ & Pharisæi, ad explicationem legis, Et *sacerdotes & Leuita,* missi à Iudæi, *ad Ioannem, vt interrogarent eum, tu quis es?* Quidam tandem mittuntur à se, vt hæretici, & Pseudo-prophetæ, & falsi Apostoli, de quibus Dominus: *Non mittebam eos & ipsi currebant.* Apostolorum genera. Exod. 3. Deut. 34. Ioan. 1. Hier. 23.

2. Apostoli Christi varia sortiuntur nomina à Spiritu sancto eis attributa. Dicuntuu enim primò fundamenta; sic Psal. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et Apostolus, *Ædificati super fundamentum Apostolorum.* Secundò dicuntur Portæ: *Et portæ ciuitatis duodecim.* Tertiò dicuntur muri; sic Esaias: *Occupabit salus muros tuos.* Quartò nubes & fenestræ: *Qui sunt hi qui vt nubes volant & quasi columbæ ad fenestras suas?* Quintò luminaria. Sic Christus: *Vos estis lux mundi.* Et Genes. *Fiant luminaria in firmamento cæli,* id est, luceant Apostoli Psal. 86. Ephes. 2. Apoc. 21. Cap. 60. Ibidem. Math. 5. Cap. 1.

& Apostolici viri in Ecclesia. Sextò Senatores. Sic Salomon: *Nobilis in portis vir eius, cùm sederit cum senatoribus terræ.* Septimò principes. Sic Psalmista: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Octauò dij & Iudices. Sic Psalm. *Dij terræ vehementer eleuati sunt.* Et Christus: *Sedebitis & vos, iudicantes duodecim tribus Israël.* Nonò tandem ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Hinc Apostolus: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum eius.*

Prou. 31. Psal. 46. Psal. 46. 1. Cor. 4.

Apostolus Spiritus sanctus datus.

3. Apostolis autem dedit Deus Spiritum sanctum; Primò in pignus hæreditatis æternæ. Sic Apost. *Dedit nobis Deus pignus Spiritus.* Secundò in magistrum veritatis. Sic promisit Christus: *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Tertiò in paracletum consolationis. *Ego*, inquit Christus, *rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Quartò in aduocatum petitionis: nam teste Apostolo; *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quintò in adiutorium infirmitatis: nam vt ibidem Apostolus; *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Tandem Sextò in testimonium diuinæ adoptionis. Hoc affirmat Apost. *Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum Filij sui in cordibus nostris, in quo clamamus, Abba Pater.*

2. Cor. 5. Ioan. 16. Ioan. 14. Rom. 8. Rom. 8

4. Fuit autem doctrina Apostolica con-

firmata primò testimoniis Prophetarum. Sic Petrus : *Hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel.* Et iterum : *Omnes Prophetæ à Samuel & deinceps qui loquuti sunt, annuntiauerunt dies istos.* Secundò vitæ Apostolicæ exemplis : Hinc Apostolus ; *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Tertiò mortis tolerantia : Sic Apost. *Semper nos qui viuimus in mortem tradimur propter Iesum, vt vita Iesu manifestetur in nobis.* Quartò miraculis. *Illi* enim *profecti, vbique prædicauerunt Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis,* Quintò donis gratiarum. Sic enim *Simon magus, videns quòd impositione manus daretur Spiritus sanctus.* Sextò Dæmonum attestationibus coactis : Nam Diabolus respondens exorcistis Iudæorum dixit : *Iesum scio, & Paulum noui.* Tandem Septimò persequentium conuersionibus subitis : Patet in Apostolo Paulo qui consentiens neci B. Stephani, tamen precibus eiusdem Martyris subitò conuersus est in actu persequutionis existens.

Act 2. & 3.

2. *Cor.* 5.

Marci 16.

Act. 8.

Act. 19.

Arma iniquitatis. *Vide* Caro.

Arma lucis. *Vide* Virtus,

Auarus, Auaritia. *Vide* Diues, Abundantia.

1. *Auarus dicitur idololatra & auaritia*

idolorum seruitus.
2. *Cur auaro nihil scelestius.*
3. *Auaritia multa mala facit.*

Auarus Idololatra. 1. AVaritia quæ dicitur quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido, verè nominatur *idololorum seruitus*, & ex consequenti auarus idololatra, quia cultum Deo debitum pecuniæ vt Deo impendit. Impendit enim primò pecuniæ diuinam amicitiam, quia amat pecuniam super omnia. Ideò Sapiens: *Nihil iniquius quàm amare pecuniam, hic enim habet animam venalem.* Secundò diuinam obedientiam, quia citius currit pro nummo quàm pro Deo. *Pecuniæ enim obediunt omnia.* Tertiò diuinam confidentiam. De his Psalm. *Confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitarum suarum gloriantur:* Contra quòd dicit Iob: *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea.* Tandem Quartò diuinam reuerentiam, ideò dixit Saluator: *Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

Eccli. 10. Ibidem. Psal. 48. Iob. 31. Eccli. 10.

Auari mala. 2. Auaro autem nihil scelestius reperire clarissimè dixit sapiens; & quidem verè: Primò, quia ferè omnia scelera per auaritiam perpetrantur, vt furta, periuria, homicidia. Secundò, quia est contra legem naturæ, de qua Saluator: *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hoc primum facite illis.* Auarus autem nec sibi nec proximo fauet. Tertiò, quia est contra legem

Luca 6.

ſcriptam vbi ſuprà. *Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt.* Quartò tandem eſt contra legem vniuerſalem quæ in omnibus rebus eſt, qua ſe communicant alijs, in conſeruationem vniuerſi. Auarus verò, quaſi captiuas tenet res, ne ſe communicare valeant.

3. Auarus à Deo maledicitur, quia maledictus diſpenſator, cuius eſt Dominus liberalis; deinde ſemper eget, cui nimirum tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Eſt peior Iuda qui Chriſtum 30. denarijs vendidit, at auarus ſæpè vno aut altero. Euiſceratus etiam auarus, quia diuitiæ cum labore conquiruntur, cum timore poſſidentur, & cum dolore amittuntur. Auaritia præutereà mentem offuſcat, quia auarus ignorat Patrem, Matrem, & proprium ſanguinem: ſed & animam dilacerat. Vnde ſpinis eas comparat Chriſtus. Inſatiabilis eſt, quia eſt auaritia ſaccus pertuſus, mare quod nunquam dicit, ſufficit, & hydropiſis quæ ſemper ſitit. Auari maledictio. *Matth. 13.*

Baptiſmus, Baptizare.

1. *BaptiZandi poteſtas, qua, & à quo & quibus collata.*
2. *Baptiſmatum plura genera.*
3. *Baptiſma quomodo dicatur à Paulo vnum, & qua differentia inter Baptiſma Chriſti & Ioannis.*
4. *Baptiſmatis qui effectus.*

Baptisandi potestas multiplex. 1. BAptizandi potestas multiplex est. Prima enim est authoritatis quam Deus soli Christo, Deo & homini contulit, de qua Ioannes Baptista: *Hic est qui baptizat in igne & Spiritu sancto.* Secunda subauthoritatis siue cooperationis, quam Spiritui sancto propriam esse dicunt sancti, eò quòd includat potestatem creandi gratiam. Tertia inuocationis nominis Petri aut Pauli, vt scilicet in eorum nomine Baptisma fieret, sed hanc nullo modo contulit, ideò Apostolus dicebat Corinth. *Aut in nomine Pauli Baptizati estis.* Quarta institutionis. Hanc soli Christo dedit, qui Baptisma instituit materialiter, quando *baptizatus ascendit de aqua.* Sed formaliter quando dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quinta præparationis. Hanc dedit Ioanni Baptistæ: *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrûm stetit.* Tandem Sexta ministerij exterioris, vt patet, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Hanc dedit Ecclesiæ ministris.

Ioan. 1. — 1. Cor. 1. — Matth. 3. — Matth. 28. — Matth. 28.

Varia baptismatum genera. 2. Distinguit autem Damascenus lib. 4. ort. fid. c. 5. nouem genera Baptismatum. Primum in aqua diluuij. Hinc Petrus: *Cùm fabricaretur arca, in qua pauci*, id est, *octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.* Secundum, Mare rubrum, de quo Apost. *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari.* Tertium Aqua expiationis; de qua

1. Pet. 3. — 1. Cor. 9.

Dominus ad Moysem, *Num.* 19. Quartum Baptiſma Ioannis, de quo Matthæus: *Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ*, &c. Quintum, Baptiſma Chriſti quo baptizatus eſt à Ioanne. Sextum Baptiſma Spiritus ſancti venientis in diſcipulos; de quo Chriſtus. *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Septimum Baptiſma pœnitentiæ & contritionis, de quo Eccleſiaſticus: *Qui baptizatur à mortuo & iterum tangit eum, quid proficit lauatio ipſius?* Octauum Baptiſma ſanguinis, de quo Chriſtus: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?* Nonum eſt Baptiſma aquæ & Spiritus; De quo Saluator: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, &c.

Matth. 3. Luca 3. *Act. 1.* *Eccli. 34.* *Luc. 12.* *Ioan. 3.*

3. Baptiſma verò Eccleſiæ Catholicæ (quæ vnica eſt) eſt vnum tantum. Primò ab vnitate materiæ; eſt enim in aqua naturali inſtitutum. Secundò ab vnitate formæ, quia fit in vnica Trinitatis ac Deitatis inuocatione. Tertiò ab vnitate efficientis, id eſt, Chriſti, cuius nomine miniſter baptizat. Et tandem ab vnitate finis, qui eſt ſalus æterna. Baptiſma verò Chriſti & Ioannis conueniunt in materia & in modo mergendi, ſed differunt primò, in forma, quia Baptiſmus Ioannis tradebatur in nomine venturi. Secundò differunt in effectu, quia Baptiſma Chriſti viuificat animas: Ioannis autem diſponebat ad vitam.

Baptiſmus Eccleſiæ vnus.

Differentia Baptiſmi Chriſti & Ioannis.

Tertiò in fine, quia Ioannis Baptiſma tantùm diſponebat ad gratiam, Chriſti verò eam confert & admittit ad gloriam.

Baptiſmis effectus.

4. Effectus autem baptiſmatis eſt multiplex. 1. Ad alia Sacramenta præparat, eſt enim Sacramentum intrantium. 2. A peccatis mundat, & maculam originalis peccati tollit. 3. Fomitem concupiſcentiæ mitigat, & ſi non tollat gratiam confert, & communionē Eccleſiæ præſtat. 4. A ſatisfactione liberat. Nam in adulto ſufficit interior contritio. Ideò dicitur quod Baptiſma non requirit gemitum neque planctum. 5. Tandem Diaboli poteſtatem minuit & ianuam Cœli aperit.

Beatitudo. *Vide* Cœlum. Gloria æterna.

Bellum. *Vide* Militia.

Bona temporalia. *Vide* Abundare.

Bona opera.

1. *Operarius bonus ſex debet habere conditiones.*
2. *Opera virtutum reddunt operarium inconfuſibilem.*
3. *Bonorum operum qui fructus.*
4. *Opera bona in ſtatu peccati mortalis facta ad quid valeant.*
5. *Bonis operibus quid mereamur.*

1. Conditiones boni operarij sunt. Primò vt sit non otiosus, sed operosus in laboribus plurimis; virtus enim in arduo cõsistit, & sine labore nihil egregij fieri potest. Secundò, vt sit sollicitus in vigilijs, ne somnolentiâ obruatur, dum sponsus mediâ nocte venerit. Tertiò, vt sit sobrius, per temperantiam & abstinentiam à malis. Quartò, vt sit mundus à voluptatibus & carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, sed casto corde & corpore seruiat Deo *in sanctitate & iustitia.* Quintò, vt sit discretus, discernens bonum à malo, ne per indiscretionem reflectat à medio virtutum, vel ad dexteram per excessum, vel ad sinistram per defectum. Tandem Sextò, vt sit constans & perseuerans contra remissos; qui respiciunt retrò, & mouent manum ab aratro, & in principio feruent, in progressu tepent, & tandem circa finem vitæ frigescunt in feruore charitatis, cùm is *qui perseuerauit in finem hic saluus erit.*

Operarij boni conditiones.

Luc. 1.

Matth. 24.

2. His conditionibus præditus vir benè operans non confundetur. Non enim confundet huiusmodi confessio fidei, sicut nec docere veritatem confundit, sed affirmare mendacium. Hinc Psal. *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum; & non confundebar.* Nec confundet expectatio spei: *spes enim*, inquit Apost. *non confundit*; assequi enim opta-

Incõfusibilis est.

Psal. 118.

Rom. 5.

tum non confundit expectantem, sed potiùs oppositum. Sic Psal. *Vniuersi qui sustinent te, non confundentur.* Nec confundit Dilectio veritatis, lux enim non confundit, sed ornat & faciem, & lucidum reddit totum corpus. Hinc Psal. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestra non confundetur.* Nec confundit circumspectio prudentiæ, seruus enim non confunditur benè seruiendo. Sic Dauid: *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* Nec confundit rectitudo iustitiæ. Nam ex hoc quod soluatur creditori nemo confunditur. Ideò Psalm. *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.* Nec modestia temperantiæ, quia ebriosus & gulosi confunduntur, vt dicitur: *Væ qui potentes estis ad bibendum & qui surgitis manè ad bibendum vinum.* Tandem nec Constantia fortitudinis, nam *qui vicerit, sedebit in throno cum Dei Filio.* Et Esaias: *Posui faciem meam vt Petram durissimam, & scio quia non confundar.*

Psal. 23. Psal. 33. Psal. 118. Psal. 118. Esai. 5. Apoc. 3. Esai 50.

Bonorũ operum fructus.

3. Bonorum operum operans, ex bonis operibus magnos acquirit prouentus, & fructus. Nam primò iram Domini mitigant. Sicut boni agri fructus mitigant Dominum de præteritis defectibus iratum. Patet in rege Iosaphat, ad quem Propheta: *Iram Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.* Secundò, quia animæ peccatrici vitam impetrant: sicut opera na-

2. Paral. 19.

turalia corpus organizant, & ad vitam disponunt. Thabita enim plena operibus bonis à D. Petro resuscitata est. Tertiò charitatem adaugent, sicut flammam flatus, & lignorum appositio. Ideo Salomon: *In omni opere bono erit abundantia.* Quartò quia de prædestinatione quoquomodo certificant. Sicut enim motus corporis ostendit vitam præsentem: sic bonum opus meritum ostendit vitæ æternæ. Ideò D. Petrus: *Fratres satagite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Quintò quia bona opera proximum ædificant; vnde Saluator: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent,* &c. Sextò Deum defensorem impetrant. Sic Christus: *Quid molesti estis huic mulieri? bonum opus operata est in me.* Septimò timorem seruilem euitant: castrum enim bene munitum non timet impugnantem. Hinc Apost. *Principes non sunt timori boni operis, sed mali.* Octauò, quia tempus impensum benè dispensant, quod ad operandum benè datur. Vnde Apost. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Tandem in gloria cœlesti honorant. Ideo meritò Apost. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.*

Act. 9. *Prou. 14.* *2. Pet. 1.* *Matth. 5.* *Matth. 26.* *Rom. 13.* *Gal. 6.* *Rom. 2.*

4. Opera verò, quæ non fiunt in charitate, licet non valeant ad vitam æternam; valent tamen ad multa. Aptant enim cor ad susceptionem gratiæ, & remissionis peccatorum. Deinde minuunt pœnam,

Opera bona sine charitate quid prosint.

non illam quam quis iam debet subire, sed eam potiùs quam subiret, si benè non faceret: Igitur imminuit euitando maiorem. Temporalia etiam acquirit, & bona terræ. Deinde homines à torpore & otio liberat & assuescit ad bene operandum, delectat mentem, & mitigat fomitem, & arcet fluxum peccati, & indirectò disponit ad virtutem.

Meritum bonorũ operum.

Id est meritorium.

5. Opera verò bona sunt meritoria vitæ æternæ, augmenti gratiæ, & remissionis pœnæ. Primum respondet radici operis, charitatis scilicet, ex qua producitur bonum opus; nullum enim apud Deum opus bonum, quod non procedat ex charitate. Secundum respondet generi operis, quia operibus excellentibus, & supererogationis meremur maius augmentum gratiæ, quàm alijs operibus. Tertium respondet pœnalitati operis, nam opera magis pœnalia, magis sunt meritoria remissionis pœnæ. Est enim regula generalis apud Theologos quòd pœna pœnæ est resolutoria. Primam tamen gratiam, id est, iustificationem, nullus peccator mereri potest, quia non habet radicem merendi, id est gratiam aut charitatem. Deinde propter status indignitatem, quia peccator non est dignus pane quo vescitur. Tertiò, quia nullius hominis opus Deo placet, nisi ipse homo priùs sit placens ac gratus Deo, vnde Dominus dicitur priùs respexisse ad Abel, quàm ad mu- (Gen. 4.)

nera eius. Quartò quia naturaliter antecedit causa suum effectum: sic gratia meritum, cùm ipsa sit causa meritorum. Ipsa enim nostram voluntatem præuenit vt velimus, & sequitur, ne frustrà velimus. Meritum autem est boni operis efficacia, ad obtinendum id quod non habetur, vel ad habendum iustiùs, quod habetur. Distinguitur autem triplex meritum. Primò meritum congrui, per quod disponitur subiectum, vt possit recipere gratiam secundùm rationem diuinæ misericordiæ. Istud vocatur dispositio materiæ, dum scilicet quis facit quod in se est. Secundò meritum digni, quod dicit idoneitatem operantis ad assequendum id quod meretur. Tertiò meritum condigni, quod dicit æqualitatem meriti ad remunerationem secundùm proportionem, nam alioqui Deus semper remunerat supra meritum, & punit citra condignum, idque ex misericordia. Quod autem ex condigno mereamur vitam æternam multæ sunt causæ. Prima est, efficacia doni Spiritus sancti, cooperantis in merito. Secunda, veritas Dei, promittentis vitam æternam, vt est illud: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Et, *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum est dabo vobis.* Tertia persuasibilitas liberi arbitrij consentientis, & finaliter perseuerantis. Quarta, difficultas status merendi. Quinta dignitas Christi capitis nostri in- *Matth. 19.* *Matth. 20*

tercedentis,& interuenientis, quod caput cum membris debet glorificari, Sexta liberalitas Dei retribuentis, quem non decet parua reddere. Septima obsequium hominis fideliter obtemperantis. Tandem Octaua, nobilitas operis, quod ex charitate procedit, quod tantùm ponderatur in conspectu iudicis, quantùm amor ex quo procedit, & ideò non potest sufficienter nisi summo bono remunerari.

Calix.

Multiplex inuenitur Calix Domini.

Calix varia significa. QVadruplex inuenitur Calix Domini; Primus est materialis, qui debet sumi parcè contra gulæ immoderantiam, quia dicit Salomon. *Cui væ, & cui vulnera, &c. Nónne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis?* (Prou. 23.) Deinde dari largè contra auaritiam, quia Matth. dicitur. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, &c.* (Matth. 10.) Secundus est Sacramentalis qui debet sumi innocenter, sine conscientia peccati mortalis, quia dicit Apost. *Quicunque biberit calicem Domini indignè reus erit corporis & sanguinis Domini.* (1. Cor. 11.) Deinde tractari reuerenter, vnde idem Apost. *Quotiescumque calicem hunc bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* (Ibid.) Tertius

tius est calix Spiritualis passionis, scilicet vel pœnitentiæ, qui debet sumi libenter, exemplo Christi, & Martyrum. Hinc Psal. *Calicem salutaris accipiam.* Deinde sustineri lætanter, sicut onus meritorium. Vnde in Threnis dicitur, *Gaude & latare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perueniet calix manus Domini.* Quartus est vituperabilis, scilicet calix culpæ, de quo Psal. *Fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* & hic calix effundi omnino debet per contritionem, confessionem & satisfactionem.

Ps. 115.
Thren. 4.
Psal. 74

Caro, Carnalia.

1. *Carnalia oblectamenta dicuntur stercora.*
2. *A Carnalibus inquinamentis mundamur multis modis.*
3. *Carnis membra quomodo exhibeantur arma inquitatis peccato.*
4. *Caro resistit Spiritui triplici ratione.*

1. STercora dicuntur omnia carnalia oblectamenta & quidem primò propter vilitatem. Vnde Sapiens; *Omnis mulier fornicaria quasi stercus in via conculcabitur.* Secundò propter corruptionem. Hinc Ioël: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Et Apost.. *Qui seminat in*

Voluptates carnales.
Eccli. 9.
Ioel. 1.
Gal. 6.

carne, de carne metet corruptionem. Tertiò propter inquinationem. Vnde Sapiens: *De stercore boum lapidabitur piger.* Et Apostolus. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus.* Quartò propter breuitatem. Stercus enim citò conuertitur in terram. Vnde de Antiocho Tyranno dicitur: *Gloria viri peccatoris stercus & vermis.* Quintò propter fœtorem. Vnde de Iezabel dicitur, *Erunt carnes Iezabel sicut stercus super terram.* Et Esaias: *De cadaueribus eorum* (peccatorum & carnalium) *ascendet fætor.* Sextò propter excæcationem. Calida enim stercora hyrundinum excæcauerunt Tobiam.

Eccli. 22. *1. Cor. 7.* *2. Mach. 2.* *4. Reg. 9.* *Esai. 34.* *Tob. 2.*

Mundatio à peccatis vnde.

2. Mundamur ab inquinamento carnis & peccati. Primò per passionem Christi, sicut lepra mundatur per pueri innocentis sanguinem. Hinc Apoc. *Qui dilexit nos & lauit nos in sanguine suo.* Secundò per virtutem verbi diuini, sicut granum purgatur per ventilationem. Vnde Christus: *Iam vos mundi estis propter sermonem meum.* Tertiò per ablutionem Baptismi, sicut æger mundatur per medicinam. Sic Apostolus de Ecclesia loquens, *Mundans eam lauacro vitæ.* Quartò per fidem, sicut aër mundatur nebula per lucem. Hinc dicitur: *Fide purificans corda eorum.* Quintò per contritionem, sicut vestis purgatur per lixiuium. Vnde aiebat Psalm. *Cor mundum crea in me Deus.* Et alibi, *Lauabo per singulas no-*

Cap. 1. *Ioan. 15.* *Ephe. 5.* *Act. 15.* *Psal. 50.* *Psal. 5.*

ctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo. Sextò per confessionem, sicut domus mundatur scopâ. Hinc Psal. *Amplius laua me ab iniustitia mea*, Et alibi: *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Septimò per aduersitatem, sicut mundatur aurum per ignem. Vnde Propheta: *Sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui*. Octauo per Eleemosynarum largitionem, sicut vitis purgatur per putationem. Vnde Christus. *Quod superest date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Tandem Nonò per Eucharistiæ perceptionem. Vnde Collecta: *Sit ablutio scelerum*, &c.

Psal. 50. Psal. 32. Malach. 3. Matth. 11

3. Carnis verò membra exhibentur arma iniquitatis peccato multipliciter, & quidem cor; (quod nobilius est membrum & primum viuens & vltimum moriens iuxta Arist.) Per malam cogitationem, *est* enim *cor machinans cogitationes pessimas*. Et Christus *De corde exeunt mala cogitationes*; &c. Secundò, renes, ad malè concupiscendum. Vnde Hieremias; *Longè es à renibus eorum*. Tertiò aures, ad malè audiendum contra quod dicit Sapiens: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam detrahentium*. Quartò oculi ad malè respiciendum. Vnde Genes. dicitur. *Vidit mulier quod lignum pulchrum esset visu*. Quintò lingua ad malè loquendum, Vnde meritò à Hier. dicitur lingua mala, *sa-*

Membra arma iniquitatis. Prou. 6. Matt. 15. Hier 12. Eccli. 28. Gen. 3. Hier. 9.

gitta vulnerans. Sextò manus ad malè operandum. Vnde Esaias : *Manus vestra sanguine plena sunt.* Tandem pedes eorum ad ambulandum. Vnde Salomon: *Pedes eorum ad malum currunt.*

Esaia. 1.
Prou. 1.

Carnis resistētia. 4. Caro verò resistit spiritui humano, quia caro vult carnalem voluntatem; Spiritus autem veritatem. Vnde Salomon : *Spiritus disciplinæ effugiet fictum.* Secundò caro quærit mundanam vanitatem, spiritus verò vitæ humilitatem. Ideo Apost. *Nos spiritum huius mundi non habemus, sed spiritum qui ex Deo est.* Hinc Esaias dicit quiescere super humilem & quietum. Tertiò quia quærit caro temporalem prosperitatem, spiritus verò æternam suspirat fœlicitatem. Ideo Apost. *Non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum; nam prudentia carnis mors est, prudentia verò Spiritus vita & pax.*

Sap. 1.
1. Cor. 2.
Esai. 66.
Rom. 8.

Castitas. *Vide* Virginitas.

Castitas in quibus conseruanda.

Castitas vbi custodiēda. CAstitas custodienda, Primò in corde, quia ipsa cor Deo gratum reddit & mundum exhibet habitaculum. Vnde Petrus : *Castificantes animas vestras in obedientia castitatis.* Secundò in ore, quia proximum ædificant casta verba. Ideo

1. Petr. 1.

Apostolus hortatur Timotheum : *Iuuenculas obsecra vt sorores.* Tertiò in opere, quia ipsa hominem fortificat, ideo laudata est Iudith. *Confortatum est cor tuum eo quòd amaueris castitatem, & post virum tuum, alterum nescieris, ideò manus Domini confortauit te.* Quartò in conuersatione, quia ipsa totum hominem commendat. Vnde Salomon : *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate.* Quintò conseruanda est castitas in aliorum opinione, quia alios ad castitatem prouocat. Hinc Apost. *Exemplum esto aliorum, in verbo, in conuersatione, in castitate*, &c.

1. Tim 5. Iudith. 15 Sap. 4. 1. Tim. 4

Charitas.

1. *Charitas describitur, & qui eius tituli.*
2. *Charitas dicitur vinculum & quale.*
3. *Charitas dicitur via ad ambulandum.*
4. *Charitas attribuitur Deo triplici actu.*
5. *Charitas debet abundare.*
6. *Charitas primatum tenet.*
7. *Charitas perfecta multa bona facit.*
8. *Charitas Dei dicitur nimia & quare.*
9. *Ad charitatem proximi astringunt nos septem.*

1. CHaritas multis ornatur Epithetis: nam primò dicitur tumulus peccata sepeliens, *operit enim multitudinem* Charitatis tituli. 1. Pet. 4.

Prou. 10. *peccatorum*, *&* *vniuersa delicta operit.*
2. Cor. 5. Dicitur stimulus ad opera vrgens. Charitas enim Christi vrgebat Apostolos. Item titulus opera informans. Nam Apostolus:
1. Cor. 13. *Etsi linguis loquar hominum & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum sicut æs sonans.* Item baculus debiles supportans. Vnde Apost. *Supportate inuicem*
Ephes. 4. *in charitate.* Item famulus omnibus ser-
Gal. 5. uiens. Vnde Apost. *Per charitatem Spiritus seruire inuicem.* Item cumulus, merita
Philip. 11. augens. Vnde Apost. *Charitas vestra magis ac magis abundet.* Item Annulus Deo
Hier. 2. desponsans. Vnde Proph. *Rocordatus sum miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ.* Oculus singula
Ephes. 2. comprehendens. Vnde Apost. *In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere.* Item modulus præmia mensu-
1. Ioan. 2. rans. Ideo dicitur: *In hoc est perfecta charitas vt fiduciam habeamus in die iudicij.* Item Riuulus ex Deo emanans. Vnde Apost. *Charitas Dei diffusa est in cor-*
Rom. 5. *dibus nostris.* Et D. Ioan. *Charitas ex*
1. Ioan. 4 *Deo est, & qui manet in charitate, in Deo manet.* Item vocatur Domina po-
Rom. 8. tentior. Vnde Apost. *Certus sum enim, quod neque mors, neque vita*, &c. *poterit nos separare à charitate Dei.* Item Magistra ingeniosior, quia temporalia pro æternis commutare docet. Vnde Apost.
2. Cor. 8. *Bonum ingenium charitatis nostræ com-*

probans. Iterum ministra humilior, quæ nullum præceptum præterit, vt dicit D. Ioan. *Hæc est charitas Dei vt mandata eius custodiamus*. Item socia diutior, quia ex se nunquam hominem deserit. Hinc Apost. *Charitas nunquam excidit*. Item Ancilla fidelior, quæ non suam, sed Domini gloriam quærit: *Charitas* enim, inquit Apost. *non quærit quæ sua sunt*. Item Amica purior, quæ non diligit adulterum. Nam vt dicit Ioan. *Qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Item Hospita curialior, quia dat omnia ad salutem necessarir. Item Claustralis ordinatior, quia nunquam dimittit ordinem suum. *Nunc enim manent fides, spes, charitas*. Item virtus maior, quia informat ad meritum. Non enim quærit quæ sua sunt, sed omnium salutem. Item fructus prior, quia est totius gaudij initium. Sic Christus: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*: cuius natiuitas gaudium attulit vniuerso mundo. Item via superior, quia semper trahit sursum. Hinc Apost. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*. Tandem, flamma ardentior, quia amat etiam inimicum. Vnde sponsa: *Aqua multa non poterunt extinguere charitatem*.

1. Ioan. 5. *1. Cor. 13.* *Ibid.* *1. Ioan. 2.* *1. Cor. 13.* *Ioan. 3.* *1. Cor. 12.* *Cant. 8.*

2. Dicitur præterea charitas vinculum perfectionis, quia omnia quæ ad perfectionem faciunt, simul ligat, scilicet se-

Charitas est vinculum.

cundùm D. Dionysium, amorem diuinum & humanum, Angelicum & animalem & naturalem. Quare meritò dicitur charitas vinculum suaue: iuxta illud, *Iugum meum suaue est*. Item vinculum forte, quia *fortis est vt mors dilectio*. Item vinculum salutare, *quia vincula illius, alligatura salutis*. Item indissollubile: *Quis enim*, inquit Apostolus, *nos separabit à charitate Christi*? Istud vinculum ligat huminem homini per concordiam, hominem Angelo per amicitiam, Deum homini per Incarnationem, & hominem Deo per reconciliationem.

Matth. 11. Cant. 8. Eccli. 6. Rom. 8.

Charitas est via. 3. Est prætereà charitas veluti via in qua ambulandum est nobis, quia charitas est *via pulchra* vt dicit Salomon; item *via munda* & impolluta, & recta, in qua pes noster stare debet iuxta Prophetam: item *via clara*, quia est quasi lux splendens. Item *via secura* & sine periculis, vbi Deus Angelis mandauit, vt custodiant ambulantem in via charitatis; item *amplissima*, in qua non arctantur gressus; item *via plana* & strata, per quam tot Apostoli & Martyres ambularunt, atque adeò *via excellentissima* quæ ducit ad vitam.

Prou. 3. Psal. 17. Psal. 24. Prou. 4. Psal. 90. Prou. 4. 1. Cor. 12.

Charitas Dei. 4. Charitas attribuitur Deo Patri eò quòd præueniat nos indiligendo, Nam vt dicit Ioan. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit*. Et Christus. *Ipse enim Pater amat*

1. Ioan. 4. Ioan. 6.

amat vos. Secundò, eò quòd communicat nobis eam; vt rectè D. Ioan. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur & simus.* Tertiò eò quod producat eam; ipse enim est principium omnium & diuinorum & creatorum. Ideò ei attribuimus charitatem, sicut Spiritui sancto communionem. 1. Ioan. 3.

5. Charitas verò debet in nobis abundare, Primo intensione: nam lampades, id est, ignis charitatis, lampades ignis intensissimi, qui augetur additione combustibilium: sic charitas pluribus actibus charitatiuis. Secundò, extensiuè ad amicos scilicet & inimicos. Charitas etenim æmulos habet, inimicos verò nullos; omnes enim æquè diligit. Tertiò operositate. Hinc D. Ioan. *Diligamus non lingua, sed opere & veritate.* Tandem firmiter & constanter. *Fortis enim est vt mors*, & vsque ad mortem, immò post mortem, vera *dilectio.* Ideò Sapiens; *Omni tempore diligit qui amicus est.* Charitatis abundantia. Ioan. 3. Cant. 8. Prou. 17.

6. Est prætereà charitas regina virtutum & primatum tenet. 1. Inter fructus Spiritus. *Fructus* enim *spiritus, charitas.* 2. Inter virtutes, quia *maior horum charitas.* 3. Inter vias ad Patriam quia dicitur excellentior via. Et tandem inter mandata: est enim primum & maximum mandatum. Primatus charitatis. Gal. 5. 1. Cor. 13. 1. Cor. 12. Matth. 22.

7. Facit autem charitas multa bona in San- Sanctorũ charitas.

ctis. Nam Primò facit omnia relinquere.
Matth. 19. Sic Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Secundò facit pro fratrum
Ioan. 16. salute se exponere. Ideo Saluator: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam exponat pro amicis suis.* Tertiò
1. Ioan. 4. executit timorem: *Pellit* enim *charitas foras timorem.* Quartò ingerit desiderium
Philip. 1. velle dissolui, vt patet in Apostolo. Quin-
Rom. 15. tò, infirmioribus condescendere facit. *Debemus nos,* inquit Apost. *firmiores, imbecillitatem infirmorum sustinere.* Sextò, pro Christo martyrium subire. Ideò Apost.
2. Cor. 5. *Semper nos qui viuimus tradimur in mortem*, desiderio scilicet.

Charitas Dei nimia.

8. Dei autem charitas meritò dicitur nimia, quia magna est nos ab æterno prædestinando; maior, in tempore vocando; maxima verò per gratiam iustificando; tandem nimia, in gloria magnificando.
Psal. 138. Vnde Psal. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Deinde magna charitas Dei in creatione, maior in gubernatione, maxima in redemptione, nimia verò in glorificatione. Tandem magna, quia misit Filium in vterum Virginis, per carnis assumptionem; maior verò quia misit in mundum, per natiuitatem; maxima, quia in notitiam hominum dedit per conuersationem. Nimia tandem, quia in crucis patibulum per passionem in redemptionem omnium.

Motiua Charitatis.

9. Ad charitatem proximi obligant nos septem. Primò, vinculum naturæ. *Omne*

enim animal diligit sibi simile. Quòd si *Prou. 18.*
tantus est nexus in irrationalibus, vt vnum
animal defendat & iuuet aliud; quantò maior
nexus amoris esse debet inter homines?
Secundò documentum sacræ scripturæ; bonis etenim & expertis credendum
est, & eorum consilio acquiescendum
Hinc Saluator: *Manete in dilectione mea.* *Ioan 15.*
Et Apost. *Nemini quidquam debeatis nisi* *Rom. 12.*
vt inuicem diligatis. Tertiò præceptum
Dei, qui proprio ore dicit: *Hoc est præceptum* *Ioan. 15.*
*meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi
vos.* Si enim præceptum sub pœna mortis
corporalis non infringitur, multò magis
præceptum Dei sub pœna mortis æternæ
non debet infringi. Hinc Ioan. *Qui* *1.Ioan.3.*
non diligit, manet in morte. Et, *Omnis qui
odit fratrem, homicida est.* Quartò exemplum
Christi, sicut scriptor sequitur exemplar
optimum, & discipulus imitatur Magistrum.
Hinc Apost. *Imitatores mei estote,* *Ephes. 5.*
*& ambulate in dilectione sicut Christus dilexit
nos* Et, *Si Deus dilexit nos, & nos debemus* *1.Ioan. 4.*
alterutrum diligere. Quintò astringit
nos pretium dilectionis; res enim pretiosa
libenter habetur & sollicitè custoditur:
dilectione autem nihil pretiosius, *nam etsi* *Cant. 8.*
*dederit homo omnem substantiam pro dilectione,
quasi nihil despiciet eam* Sextò præmium
beatitudinis. Libenter enim accedit
homo per viam qua ducitur ad Patriam
optatam. Hinc Propheta: *Oculus non vidit* *Esa. 64.*
Deus absque te, quæ præparasti diligenti-

bus te. Tandem Septimò facilitas amandi & delectabilitas amoris. Omnia facilitat amor. Vnde Ioan. *Et mandata eius grauia non sunt* Ex quibus colligo, quod ad dilectionem mutuam ligat vinculum, à quo nullus potest absolui; documentum, à quo nullus potest excipi; trahit exemplum, à quo nullus debet auerti; attrahit pretium, cui nihil potest æquari; illicit præmium; quod ab omnibus debet intendi; mouet facilitas, à qua nullus potest excusari. Vide Finis.

1. Io. 5.

Christus.

1. *Christus ostensus est Filius Dei septem modis.*
2. *Christus dicitur Filius primogenitus Dei.*
3. *Christus à quibus deducat, ad qua educat, &c.*
4. *Christus quomodo nobis loquutus est.*
5. *Christus quomodo sit meditator & qua in manu eius.*
6. *Christus quomodo caput Ecclesiæ.*
7. *Christus in multa forma apparuit.*
8. *Christus quomodo finis legis.*
9. *Christus quomodo Rex pacis.*
10. *Christus quomodo sit merces.*
11. *Christus dicitur liber vitæ.*
12. *Christus assimilatur Melchisedech & dicitur Rex iustitiæ.*

1. CHristus ostensus est Filius Dei septem modis. Et hoc per spiritum sanctificationis. Primò, quia conceptus per Spiritum sanctum. Vnde Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Secundò, quia sanctificatus, & donis repletus est per

Christus Filius Dei quomodo. *Luc. 1.*

Esaia. 11. ſpiritum. Vnde Propheta: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*. Tertiò, quia demonſtratus eſt per ſpiritum. Vnde dicitur *ſuper*
Ioan. 1. *quem videris ſpiritum quieſcentem*. Quartò, quia clarificatus in mundo per ſpiri-
Ioan. 16. tum. Vnde Chriſtus: *Ille me clarificabit*, &c. Quintò, quia Apoſtolis inflauit Spi-
Ioan. 20. ritum ſanctum. *Accipite Spiritum ſanctum*. Sexto quia poſt aſcenſionem miſit
Act. 20. Spiritum ſanctum: *Seditque ſupra ſingulos eorum Spiritus ſanctus*. Tandem Septimò,
Ephe. 1. quia electis dat Spiritum ſanctum, *in quo ſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto*.

Chriſtus primo genitus *Heb. 1.* 2. Dicitur autem primogenitus. Primò Patris, in quantum Deus æternaliter genitus à Patre. Hinc Apoſt. *Et cùm iterum inducit primogenitum in orbem terræ*. Secundò primogenitus matris, in quantum
Matth. 9. homo, temporaliter de matre natus. *Et peperit filium ſuum primogenitum*, ante quem nullus, nec poſt fuit. Tertiò primogeni-
Cap. 24. tus omnis creaturæ. Eccli. *Ego ex ore altiſſimi prodij*, &c. Quartò tandem in quantum Deus & homo; primogenitus reſurrectione, & ex mortuis Hinc. Apoſt. *Qui*
Col. 1. *eſt principium omnis creaturæ, primogenitus ex mortuis*.

Chriſti bonitas in homines. 3. Portò Chriſtus, vt eius veſtigia ſequamur & cum peccatoribus eadem nos præſtemus, multa bona nobis exhibuit. nam primò eduxit nos de tenebris culpæ;
Pſ. 106. Vnde Pſal. *Eduxit eos de tenebris & umbra mortis*. 2. Adduxit ad ſtatum peniten-

tiæ. Hinc Apost. *An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* 3. Deduxit ad semitas iustitiæ. Psal. *Deduxit me super semitas iustitiæ.* Et, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas.* Quartò conduxit ad gloriæ meritum. Hinc, *Exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* Quintò induxit in montem sanctificationis & perfectionis. *Induxit eos in montem sanctificationis suæ, firmissimo habitaculo,* &c. Sextò tandem introducet in Patriam, vbi erit iucunditas sine fletu: *Absterget enim tunc Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum.* Securitas sine metu, *Sedebunt enim enim in pulchritudine pacis.* Satietas sine esurie, satiabuntur enim tunc cum apparuerit gloria Domini & æternitas sine fine.

Rom. 2. *Psal. 22.* *Sap. 10.* *Matth. 21.* *Exod. 15.* *Apoc. 21.* *Esai. 32.* *Psal. 15.*

4. Loquutus est nobis Christus. In primis quo ad modum loquendi primò veraciter. Ioan. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* 2. Euidenter & non in occulto. Hinc idem Saluator stans coram Anna Pontifice, *Ego palàm loquutus sum mundo, & in occulto loquutus sum nihil.* 3. Feruenter: *Et erat quotidie docens in templo.* Et, *Quotidie eram apud vos docens in templo.* 4. Spiritualiter. *Verba*, inquit, *quæ ego loquor, Spiritus & vita sunt.* 5. Ordinabiliter: *Quia cœpit facere & docere.* Sextò prudenter: *vnde stupebant omnes super prudentia & responsis eius.* Septimò tandem vtiliter: *Loquebatur enim de regno Dei.* Et Ioan. *Dicebant Apostoli, verba*

Christus quomodo nobis loquutus. *Ioan. 8.* *Ioan. 1.* *Luc. 4.* *Ioan. 6.* *Act. 1.* *Luc. 2.* *Luc. 9.* *Ioan. 6.*

Quæ loquutus est. *vita æterna habes.* Quo ad ea verò quæ loquutus est, ne quis recuset Christum loquentem, Sciendum est, quòd loquutus est vera. Vnde Ioan. dicebat Christus: *Cur*
Ioan. 8. *me quæritis interficere, hominem qui veritatem loquutus sum?* 2. Iusta. Ipse enim est
Esa. 63. *qui loquitur iustitiam.* 3. Suauia. *Sunt enim*
Psal. 18. *eloquia eius dulcia super mel & fauum* 4.
Ioan. 7. Efficacia. Vnde Iudæi, *Nunquam sic loquutus est homo.* Quintò sublimia: nam
Prou. 8. iuxta Salomonem, *de rebus magnis loquuta est diuina Sapientia verbi.* Tandem ma-
Ioan. 15. nifesta. *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Christus mediator 5. Est verò Christus mediator, primò inter Deum & hominem, vt testatur Apo-
1. Tim. 2. stolus: *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Attamen etiam est mediator inter hominem & hominem, genti-
Ephes. 2. lem & Iudæum; nam *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Quinimò inter
Coll. 1. hominem & Angelum; nam ipse *pacificauit quæ in cælis & quæ in terra sunt, in cuius manu,* id est, potestate, *est lex:* nam *in ma-*
Deut. 33. *nu eius* (inquit Moyses) *ignea lex*; & salus nostra. Deinde iudicium, quia Pater *dedit*
Ioan. 5. *ei potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.* Et tandem regnum, iuxta di-
Luc. 1. ctum Angeli: *Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris eius & regnabit in domo Iacob in æternum.*

Caput Ecclesiæ. 6. Dicitur autem Christus caput Ecclesiæ, quia 1. Eminentior omnibus membris

Ecclesiæ; sic enim de eo æternus Pater: *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ* 2. Quia speciosior est enim *speciosus forma præ filiis hominum*, in cuius *labiis diffusa est* omnigena *gratia.* 3. Quia dignior. Est enim princeps regum terræ, in cuius femore scriptum est, *Rex Regum & Dominus dominantium.* 4. Quia melior omnibus. Non enim ei datus est spiritus ad mensuram, sed de *plenitudine eius accepimus omnes.* Quintò quia potentior. Caput enim influit in omnia membra: illi enim data est *omnis potestas in cælo, & in terra.* Tandem quia honestior omnibus, vt potè qui incontaminatus & immaculatus agnus est, *qui sanguine suo nos lauit à peccatis nostris.*

Psal. 88. *Psal. 44.* *Apoc. 1.* *Ioan. 1.* *Matth. 28* *Apoc. 1.*

7. Ex humilitate Christus in incarnatione multiplici forma apparuit. Et quidem in natiuitate in forma serui, factus in similitudinem hominis homo. In conuersatione, in forma infirmi, sic Esaias eum præuidit: *Nos reputauimus eum quasi leprosum.* In transfiguratione, in forma claritatis solaris, quia tunc *facta est species eius altera quia resplenduit facies*, &c. In passione autem apparuit in forma peccatoris. Nam vt ait Apost. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati.* Post resurrectionem in forma peregrini & hortulani: dum priori forma sic Magdalenæ apparuit, posteriori verò duobus eũtibus in Emaus.

Multiformiter apparuit. *Esai. 53.* *Matth. 17* *Rom. 8.* *Ioan. 20.* *Luc. 24.*

8. Dicitur prætereà Christus finis legis.

Finis legis.

1. Prout finis idem est quod terminus, sicut punctum est finis lineæ, eò quod legem quoad ceremonialia & quædam iudicialia terminauit. 2. Prout finis dicit impletionem, quia promissam in lege charitatem impleuit, animam suam ponens pro inimicis. 3. Prout finis dicit consummationem, quia omnia impleuit & perfecit: *non* enim *venit soluere legem* aut Prophetas, *sed adimplere*, ideo moriens dixit: *Consummatum est*. Igitur si finis dicitur terminus operis, intentio implentis, solutio promissionis, consummatio perfectionis, verè Christus dicitur finis legis.

Matth. 5. *Ioan. 19.*

Rex pacis

9. Nec immerito dicitur Rex pacis, quia 1. natus est tempore vniuersalis pacis, quando iuxta Esaiam *non leuabat gens contra gentem gladium*. 2. Quando pax ab Angelis nuntiata est hominibus bonæ voluntatis. 3. factus est *princeps pacis*, 4. recedens à discipulis pacem reliquit, quasi hereditario iure possidendam: Quintò fecit pacem inter Deum & hominem, in passione *factus pax nostra*; qua ratione discipulis post resurrectionem eam imprecatus est. Sexto ipse non habitat, nisi inter filios pacis, vt potè cui *factus est in pace locus eius*. Et tandem pacem paratus est conferre æternitatis, vt ait: *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem*.

Esai. 2. *Luc. 2.* *Esai. 9.* *Ioan. 15.* *Ioan. 20.* *Psal. 75.* *Ioan. 16.*

Merces nostra.

10. Nec impropriè præterea dicitur merces nostra, quia in foro huius seculi benè

negotiantium, est merces & præmium. Sicut etiam denarius, in vinea Domini laborantium, & brauium, in stadio mundi currentium, & corona, in agone spiritualis pugnæ certantium.

11. Vocatur insuper liber vitæ, quia est liber viuens, vt pote cuius *sermo viuus est & efficax*. 2. Liber viuentium. Nam *qui non est inuentus scriptus in hoc vitæ libro, missus est in stagnum ignis* 3. Liber viuificans; qui enim in eo legerit exempla veræ vitæ, non morietur in æternum. Et tandem 4. est liber eorum qui victuri sunt in æternum. Nam liber est amoris rubens litteris, in quo nomina electorum scripta sunt, nec delebuntur nomina eorum de libro vitæ, Liber vitæ. Heb. 4. Apoc. 19.

12. Dicitur adhæc Christus Rex iustitiæ, & assimilatur Melchisedech. Rex verò iustitiæ dicitur, quia iustitiam habuit in conceptione. Hinc Hierem. *Suscitabo Dauid germen iustum, & faciet iudicium & iustitiam in terra*. Attulit deinde in natiuitate. Tunc enim teste Psalmista, *Iustitia de cælo prospexit*. Habuit eam præterea in conuersatione. Sic enim Ioanni Baptistæ ait: *Sic decet nos adimplere omnem iustitiam*. Eam præterea docuit in prædicatione. Hinc Oseas loquens de aduentu Christi: *Tempus quærendi Dominum, cùm venerit, qui docebit nos iustitiam*. In passione præterea eam tribuit & contulit nobis. Hinc Apostolus: *Iustificati in sanguine* Rex iustitiæ. Hier. 23. Psal. 84. Matth. 3. Osea. 10. Rom. 5.

ipsius. Et alibi: *Qui factus est nobis sapien-*
1. Cor. 1. *tia & Iustitia*. Iustitiam etiam exequetur in generali resurrectione, quandò Deus Pater iuxta Prophetæ petitionem, *Iudi-*
Psal. 73. *cium suum Regi* Christo *dabit & Iusti-tiam Filio* Dei Patris summi *regis*. Et tunc
1. Cor. 15. quando tradiderit Regnum Deo Patri, retribuet vnicuique iuxta iustitiam suam. Quàm autem verè Christus assimiletur Melchisedech, patet ex multis. Primo Melchisedech dicitur Rex, & *fuit Rex*
Hebr. 7. *iustitiæ*: sic Christus, vt dictum est. Item dicitur Rex pacis: sic Christus vt constat suprà. Tertiò dicitur *sacerdos Dei altissimi*: sic & Christus per suiipsius in cruce oblationem. Quartò quia *obuiauit Abraha*: sic Christus obuiabit cuilibet fidelium, post vitiorum cædem per gratiæ infusionem. Quintò Melchisedech *benedixit Abraha*: sic Christus omnes fideles per virtutum augmentationem & multiplicationem. Sextò, quia *decimas omnium recepit ab Abraham*: sic Christus ab omnibus fidelibus recipit per actionem gratiarum & laudum. Septimò quia *sine Patre & Matre*; sic Christus Matrem non habuit in diuinis, nec Patrem in terris.
8. Quia *sine genealogia*: sic Christus quia inexpertus copulam carnalem. Nonò quia sine fine & principio. Sic Christus propter interminabilem ęternitatem manet *Sacerdos in æternum*, quotidiè offerens & oblatus ex sacerdotij eius perpetuitate. Tandē

Melchisedech obtulit panem & vinum : sic Christus sub speciebus panis & vini æternizauit sui corporis & sanguinis hostiam propitiatoriam simul & satisfactoriam.

13. In medio autem Ecclesiæ Christus est 1. Vt columna in medio domus, ad sustentandum Ecclesiam. Hier. *Dedi te in columnam ferream*. 2. Vt lignum vitæ in medio Paradisi, ad reficiendam & conseruandam vitam gratiæ. Prou. *Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eum*. Tertiò, vt lampas in medio templi ad illuminandum: *Propter Sion non tacebo*, &c. *Et Saluator eius vt lampas accendatur*. Quartò, vt cor in medio animalis, ad viuificãdum. Hinc Prou, *Omni custodia custodi cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit*. Quintò, vt Doctor in medio discipulorũ, ad erudiendum. Hinc dicitur: *In medio Ecclesiæ aperuit os eius*. Sextò, vt dispensator in medio familiæ ad ministrandum. Vnde dicitur: *Ego in medio vestrûm sum sicut qui ministrat*. Tandem vt terra in medio mundi ad inhabitandum, De qua Psalmista: *Portio mea in terra viuentium*.

Est in medio Ecclesiæ. *Cap. 1.* *Cap. 3.* *Esai. 62.* *Prou. 4.* *Eccli. 15.* *Luc. 21.* *Ps. 141.*

14. Vocat autem nos Christus ad quatuor. Primò ad esse. Sic Apost. *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*. Secundò ad præesse, Idem: *Nemo assumit sibi honorem sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*. Tertiò ad benè esse. Sic Apost. *Quos vocauit, hos & iustificauit*. Tandem ad beatum esse. Sic Christus: *Voca operarios &*

Nos vocat ad quatuor. *Rom. 4.* *Heb. 5.* *Rom. 8.* *Matth. 20.*

Matth. 25. *redde illis mercedem*: Item, *Venite benedicti Patris mei*, &c.

Odor quomodo. 15. Per odorem verò Christi, primò intelligitur ipsius Incarnatio, de qua intel-
Gen. 27. ligitur illud: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni quem benedixit Dominus*. Secundò eius conuersatio, & est odor thuris si-
Eccli. 50. ue incensi. Hinc dicitur, *Quasi thus redolens in diebus æstatis*. Tertiò, eius acerbissima passio ad instar odoris vnguenti
Ioan. 12. in passione effusi, quando *fracto Alabastro* corporis *domus impleta est*, id est, Ecclesia, *eò odore vnguenti*. Habet autem Ecclesia tres mansiones quæ impletæ fuere ex isto odore. Primo cœlum, quia Deum
Gen. 8. hominibus placatum reddidit. *Odoratusque est dominus odorem suauitatis*. 2. Mun-
Cant. 1. dum, quia homines ad se traxit *currentes in odorem vnguentorum suorum*. Tertiò, Infernum, Demonem necando & Patres
2. Cor. 2. lætificando. Fuit enim iuxta Apost. *Alijs odor vitæ, in vitam*, &c.

Exéplar Christianorum. Coll. 3. 16. Fuit autem Christi vita exemplar Christianorum quoad quinque. Primò quoad vitam: debemus enim cum Christo viuere. *Mortui enim estis*, inquit Apost. *& vita vestra abscondita est cum Christo in*
1. Cap. 4. *Deo*. Secundò quoad passionem, nam rectè Petrus: *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*. Tertiò quoad
Gal. 2. mortem. Hinc Apostolus: *Christo confixus sum cruci*. Et, *Mihi viuere Christus est & mori lucrum*. Quartò quoad resurrectio-

nem. Hinc idem : *Si consurrexistis cum* Col. 3.
Christo, quæ sursum sunt quærite. Quintò
quò ad gloriæ consequutionem. *Cùm enim*
Christus, apparuerit vita vestra, inquit Ib.
Apost. vbi suprà, *tunc & vos apparebitis*
cum ipso in gloria.

17. Fuit verò Adam Figura Christi, qui proinde vocatur nouus Adam, quia sicut ille formatus est de terra virgine sine humano opere, sic Christus de Virgine. Deinde sicut Adam fuit principium omnium hominum secundùm carnem: sic Christus secundùm fidem. Tertiò, quia sicut Adam fuit author humanæ corruptionis : sic Christus humanæ reparationis. Quartò, sicut de latere Adæ dormientis assumpta est costa, vnde formata est Eua: sic de latere Christi dormientis profluxerunt Sacramenta, per quæ saluata fuit Ecclesia. Adam figura Christi.

18. Vt autem intelligamus quomodo imaginem Christi portare debemus ; notandum, quòd imago dicit expressam similitudinem, quam primò portare debemus, in humilitate cordis. Dicit enim: Imitatio Christi.
Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Deinde in puritate conuersationis. Matth. 11.
Hinc Petrus : *Sequamini vestigia eius, qui* 1. Pet. 2.
peccatum non fecit. Tertiò, in vicissitudinæ mutuæ dilectionis. *Hoc enim est præ-* Ioan. 15.
ceptum meum ; vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Quartò, in tolerantia persequutionis. Nam, *Si me,* inquit, *persequuti sunt,* Ioan. 15.
& vos persequentur : non est seruus maior

Domino suo. Quintò, in obedientia diuinorum mandatorum. Nam ipse *humiliauit semetipsum factus obediens*, &c. Sextò, in beneuolentia quo ad amicos; præcipit enim: *Diligite inimicos vestros.* Septimò, in instantia orationum: *Erat* enim *pernoctans in oratione.* Et Petro dicitur: *Non potuisti vna hora vigilare mecum?* Tandem Octauò in exhibitione mutui obsequij: *Exemplum enim dedit*, lauando pedes Discipulorum; *vt sicut ipse fecit & nos faciamus.* Alia multa sunt Christi, quæ portare nos oportet. Est 1. Iugum, eius mandatis obediendo. Sic Hier. *Bonum est viro cùm portauerit iugum Domini.* 2. Iram, eius flagella patienter suscipiendo: *Iram Domini portabo*, inquit Proph. *quia peccaui ei.* 3. Nomen, eius veritatem prædicando. Sic Paulus fuit vas electionis, *vt portet nomen eius*, &c. 4. Stigmata. Nam hæc idem Apostolus in corpore suo portabat configuratus ei. 5. Improperium eius in Christo patienti compatiendo. *Exeamus*, inquit Apost. *cum eo extra castra improperium eius portantes.* Tandem 6. ipsum Deum, eum pro redemptione nostra glorificando. *Glorificate*, inquit Apost. *& portate Deum in corpore vestro.*

Philip. 2. Matth. 5. Luc. 6. Marc. 14. 1. Ioan. 13. Thren. 3. Michea 7. Act. 9. Gal. 6. Heb. 13. 1 Cor. 6.

Noua fecit Christus.

19. Quod verò in Christo omnia innouata sint patet, quia ipse est nouus Rex. Nam ipse natus est Rex, quod nouum est & mirabile. Deinde fecit nouum testamentum

mentum, cuius idoneos ministros ordinem sacerdotalem instituit, & noua Sacramenta, contulit nouum spiritum iuxta illud Proph. *Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum.* Protulit nouum mandatum, & quidem vnicum dilectionis. Exemplum dedit nouæ vitæ & cœlum nouum & terram nouam promisit. Ezech. 36. Apoc. 21.

20. Traditus autem fuit Christus pro nostra salute. Primò à seipso, vt benè Apost. *Tradebat autem se iudicanti se iniustè* 2. à Patre, *qui pro nobis omnibus tradidit illum.* 3. à Iuda, qui osculo Filium hominis tradidit. 4. à Iudæis, qui *tradiderunt eum Pontio Pilato.* 5. à Pilato, qui *tradidit eum voluntati Iudæorum.* Deinde à Diabolo, per Iudæ ministerium. Traditus ergo fuit à Patre ex charitate perfecta, à seipso ex paterna obedientia, à Iuda ex auaritia, à Pilato ex vano timore, à Iudæis ex inuidia, à Diabolo ex malitia. Traditus pro nobis. 1. Petr. 2. Luc. 23.

21. Pontifex, id est, supremus sacerdos dicitur Christus, quia cùm officium Pontificis sit, hostias immolare, preces ad Deum offerre, peccata grauiora remittere, excommunicatos absoluere, templa instaurare, & dedicare, Clericos ordinare, beneficia conferre, Ecclesias reconciliare, & Chrisma conficere; Christus à Patre constitutus est vt seipsum immolaret, *quia in diebus carnis suæ preces & supplicationes fecit*, soluit contritos corde, Summus sacerdos. Hbr. 5.

& sanctificauit tabernaculum, il est, Ecclesiam, mundans eam lauacro vitæ, qui quosdam per Spiritum suum sanctum dedit Apostolos, alios autem Prophetas, qui æterna gratiæ & gloriæ beneficia nobis dedit, per quem reconciliati sumus Deo, cùm inimici essemus, à cuius tandem spiritu in Ecclesiam misso vnctionem gratiæ accepimus.

Mortis Christi vtilitas. 22. Fuit autem mors Christi conuenientissimus modus nostræ liberationis, quia per eam mortis æternæ sententia reuocata fuit, vt patet Oseæ: *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ô Inferne.* Item per eam sustinendæ morti fortitudo data est: nam per mortem Christi *liberati sunt illi qui per totam vitam erant obnoxij mortis seruituti.* 3. Quia per eam vitam gratiæ contulit, & recuperauimus. Vnde idem Apost. dicit *quòd sanguis eius emundat conscientias nostras, ab operibus mortuis.* 4. Quia per eam cælestis regni ianua aperta est. *Ipse* enim primò *propalauit Sanctorum viam, & per proprium sanguinem introiuit.* 5. Quia in ea agnoscimus peccatorum nostrorum grauitatem. Nam pro eis iuxta Bernard. Necesse fuit Christum Dominum vulnerari. 6. Quia ostenditur humanæ naturæ dignitas, ex pretio Sanguinis Christi quo redempta fuit. Quod Apost. non tacuit. Septimò quia charitas Dei erga nos in eo demonstratur, quæ in Filij sui missione maximè elucescit, vt ipse

Oseæ. 13. — Heb. 2. — Ibid. 9. — Ibid. — 1. Cor. 6.

Christus testatur, atque ex consequenti amor noster maximè inflammatur. 8. Quia superbia Diaboli in morte Filij Dei decepta fuit, dum iustitiâ, plùs quàm potentiâ, Deus Diabolum superare voluit. *Ioan.* 3.

23. Sanguis autem Christi fideliter consideratus multiplicem habet efficaciam respectu peccatoris. 1. Monet ad pœnitentiam efficaciter: hinc figuraliter dicebat Iob: *Terra*, id est, ô terrene peccator, *ne opperias sanguinem meum*, sed ante oculos tuos versetur. Nam sanguis Christi monet ad dolorem contritionis, quia sanguis Christi pro peccatore effusus requiretur. Deinde inducit ad veram confessionem. Ideo Apost. *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel*, id est, loqui facientem. Tandem laborem satisfactionis facilitat. Si enim Christus non tantùm manum apponat operi salutis nostræ, sed & sanguinem ad satisfaciendum pro nobis, quis detrectabit subire laborem pœnitentiæ? Vnde dicitur Apost. *Vestitus erat veste aspersa sanguine.* Quod de Christo intelligitur, & exercitus qui sunt in cœlo Ecclesiæ sequebantur eum. Hæc tria in passione Christi figurata fuere. Nam in petrarum scissione contritio, in apertione monumentorum confessio, in multorum resurrectione verò satisfactio designatur. Gignit 2. sanguis Christi confidentiam & spem maximam; si enim

Sanguinis Christi efficacia. *Cap.* 16. *Heb.* 12. *Apoc.* 19.

Christus dedit sanguinem tam liberaliter, non negabit veniam & gloriam. Sic enim
Heb. 10. Apost. *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi.* Cùm enim pusillanimitas aut diffidentia, exurgat ex triplici consideratione; vel ex consideratione
1. Reg. ult. culpæ, vt in Iuda, vel ex offensæ grauitate, vt in Cain; vel tandem ex pœnæ acerbitate, vt in Saüle. Sanguis tamen Christi, quem Deus Pater voluit effundi ob culpæ deletionem, mundat culpam. Sic
Apoc. 1. Apoc. *Dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* 2. Conciliat offensam. Ex quo enim, dedit sanguinis pretium, peccatori speranda est reconciliatio. Tandem aufert pœnam, quia aufert æternitatem & mitigat pœnam æternam, & mutat in temporalem; vnde satis caro pretio, sanguine suo cum summo cruciatu euulso, quasi pretio magno nos redemit. Vnde
1. Pet. 1. Petrus: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed sanguine agni immaculati.* Excitat Tertiò ad pugnam pugiles fidei Christianæ: quis enim viso vexillo rubeo & cruentato Christi sanguine non animatur ad resistendum Diabolo? Ille ergo animat & armat & vires confert. Hinc dici-
1. Pet. 4. tur: *Christo in carne passo vos eadem cogitatione armamini.* Deinde confortat ad sustinenda grauia & aduersa. Quare Apost.
Heb. 12. *Recogitate eum*, &c. *vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Perducit tandem ad triumphum victoriæ: Nam de Angelis di-

citur: *Et ipsi vicerunt eum in sanguine agni.* Apoc. 12.
Proponit Quartò ipsum præmium regni cœlestis, illudque in mentem reuocat sanguis Christi. Nam per sanguinem ianuam Cœli *ingressus est, & in Sancta, æterna redemptione inuenta.* Et in hoc clarificat & dirigit oculum rationis, ad meditandum valorem præmij. Allicit prætereà & trahit affectum ad amandum, cùm videamus quòd Christus vti verus Pellicanus nos proprio sanguine nutrit & pascit. Hinc dicit: *Sanguis meus verè est potus.* Tandem certificat nos de præmio & de facto introducit. Nam quomodo non certos nos reddit, si emptio Patris & hæreditas Filij sanguine suo empta collata nobis est? Huius testes tres habemus iuxta D. Ioan. *Tres sunt qui testimonium dant in terra; Spiritus, aqua & sanguis Christi.* Quod autem introducat in possessionem præmij, patet, quia ante effusum istum sanguinem, non terminabatur miseria nostræ coinquinationis; ideò omnes descendebant in infernum, à quo sub analogia laci nos liberatos per Christi sanguinem affirmat Propheta. Quod autem de facto introduxit per passionem, sanguinisque effusionem, clarissimè Apost. *Decebat enim propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum, per passionem consummari.*

Heb. 9. Ioan. 6. 1. Ioan. 5. Zach. 9. Heb. 2.

Ascensio multiplex.

24. Ascendit autem Saluator multis modis, primò super humanam naturam in in-

Esai 19. carnatione, dicente Proph. *Ascendet Dominus super nubem leuem*. 2. Super crucem in passione. Hinc sponsa fructum passio-
Cant. 7. nis eius concupiscens: *Ascendam*, inquit, *in palmam & apprehendam fructum eius.* 3. Super mortem in resurrectione. Hinc
Psal. 67. Psal. *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* 4. Super cœlos in ascen-
Eph. 4. sione. Hinc Apost. *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Et hæc ascensio dicitur, 1. *super cælos*, in quo est loci sublimitas, ideo
Marc 16. dicitur: *Sedet ad dextram Dei.* 2. *In altum*, in quo est gloriæ dignitas. 3. *Super cælum*, in quo est subiectio totius creatu-
Psal. 17. ræ corporalis. 4. *Super Cherubin*, in quo denotatur subiectio totius creaturæ spiri-
Psal. 66. tualis. 5. *Ad Orientem*, in quo claritas cor-
Ioan. 14. poris gloriosi. 6. *Ad Patrem*, in quo frui-
Psal. 46. tio spiritus notatur. Et tandem *in Iubilatione*, in quo ostenditur ineffabilitas gaudij omnium beatorum ex fruitione Deitatis & humanitatis.

Veniet ad Iudicium. 25. Quod iterum venturus sit ad iudicium, in quo Christus apparebit, constat
Act. 1. ex Angelico dicto dùm ascendit. Apparebit autem omnibus; vt omnes iudicet, vt malos puniat, quibus *horrendè & nimis ci-*
Sap. 6. *tò apparebit:* vt videant in quem confixerunt. Et tandem bonos remuneret, qui
Ioan. 19. tunc *inebriabuntur ab vbertate domus cæ-*
Psal. 35. *lestis & satiabuntur cùm ea gloria ipsius apparuerit.*

26. Et quamuis Christum iuxta Apost. scimus gloria & honore propter mortem & passionem coronatum, tamen fuit etiam coronatus coronâ carneâ in conceptione, cuius faber fuit Spiritus sanctus, officina verò vterus Virginis. 2. Coronâ spineâ in passione cuius artifex fuit synagoga per milites. 3 Coronâ lapideâ pretiosissimâ in resurrectione, cuius faber fuit Pater, officina verò ipsa gloria. Hæc coronâ quatuor dotibus corporis quasi quatuor gemmis fuit ornata. 4. Coronâ aureâ in ascensione, cuius artifex diuinitas Filij, officina verò cœlestis curia beatorum sanctorum, & Angelorum. Hinc dicitur: *Corona aurea super caput eius, gloria honoris & opus fortitudinis expressa.*

Heb. 2. Coronatio Christi. *Ioan. 19.* *Eccli. 45.*

27. Thesaurus sapientiæ fuit in Christo quadrupliciter: primò Efficienter, quia dicitur: *Fons sapientiæ verbum Dei* (quod Christus est) *in excelsis.* Ideò ab ipso est omnis sapientia. 2. Formaliter, quia eius anima omni sapientia & scientia informata fuit. Ideò Discipuli: *Nunc scimus quia scis omnia.* 3. Materialiter, quia sapientia est de diuinis & scientia de humanis: ipse enim erat Deus & homo; Tandem quartò Exemplariter, quia exemplar & idea fuit in quo pater omnia creauit. Ideo Psal. *Omnia in sapientia fecisti.*

Sapientia thesaurus. *Sap. 1.* *Ioan. 16.* *Psal. 103.*

28. Odiosum regnum mortis quod durauit ab Adam vsque Christum, cuius durationi causam dedit, defectus gratiæ,

Mortem destruxit.

ignorantia Dei, & peccati; & spes impunitatis; odiosum dico, propter regnantis violentiam, & regnandi longitudinem, & regni latitudinem, quia in omnes, immò & in eos qui non peccauerunt & in ipsum Filium Dei, Christus euertit: & mortem destruxit. Primò mortuos suscitando, & vitam conferendo, quam ipsa mors abstulerat. 2. Timorem mortis auferendo. Nam potestas omnis dum non timetur pe-
Rom. 6. rijt. 3. Resurgendo, nam mors illi vltrà non dominabitur. 4. Mortis exterminan-
Heb. 2. nando principem: nam ipse moriens destruxit eum, qui habebat mortis impe-
Luc. 1. rium. 5. Regionē mortis spoliando. Nam
Psal. 64. *eduxit vinctos, & illuminauit his qui in tenebris & vmbra moris sedebant.* 6. Immor-
Ioan. 6. talitatem conferendo. *Qui manducat me ipse viuet in æternum.*

Circumcisio.

1. *Circumcisio quadruplex.*
2. *Circumcisio iustorum qualis esse debet.*
3. *Circumcisio carnis data est ob septem causas.*
4. *Circumcisio vera, complectitur quadruplicem spiritualem circumcisionem.*

Circūcisio multiplex. 1. QVadruplex inuenitur circumcisio. Prima quæ est falsa, & est hypocritarum. Vnde Apostolus: *Videte malos ope*

los operarios, videte concisionem; nos enim *Phil. 3.*
sumus circuncisio qui spiritu seruimus Deo.
Secunda est vana, & est Iudæorum. Vnde
idem Apost. *Si circuncidamini, Christus* *Gal. 5.*
nil vobis proderit, &, *in Christo Iesu circum-* *& 6.*
cisio nil valet. Tertia est vera, & est iu-
storum. Vnde Proph. *Circuncidimini* Do- *Hier. 4.*
mino, & auferte præputia cordium vestro-
rum. Et alibi Dominus: *Si quis peregrino-* *Exod. 12.*
rum in vestram voluerit transire coloniam,
&c. *circumcidetur priùs.* Quarta est per-
fecta, quia est beatorum. Vnde Proph.
Non adijciet vltrà vt transeat per te incircun- *Esai 52.*
cisus.

2. Iustorum verò circuncisio debet esse in corde, in ore, in manu, & in quolibet sensu. Nutus enim & ratio circuncidi debet ab errore malè seducente per variam fidem. Concupiscibilis autem ab amore malè inflammante, per charitatem Dei & proximi. Hinc Moyses: *Circumcidet Dominus cor tuum, vt diligas Dominum Deum tuum.* Irascibilis à timore malè humiliante, & hoc per spem. Vnde Apost. *Nos sumus circumcisio, qui gloriamur in Christo & non in carne fiduciam habentes.* Os autem, à sermone malè ædificante; hinc Moyses: *Incircuncisus labijs ego sum.* Manus præterea à rapina, & mala operatione; in cuius figura ordinabatur quòd mulier bello capta debebat circuncidere vngues. Tandem quilibet sensus circuncidendus ab illicita operatione, in quorum figura dicitur, *quòd*

Circumc. iustorum qualis.

Deut. 30.

Philip 3.

Exod. 5.

Deut. 21.

1. Mach. 2. *Machabai circumcidebant pueros incircumcisos.*

Causæ circuncisionis. 3. Fuit autem carnis circuncisio data propter septem causas. Primò in signum & ostensionem fidei Abrahæ, vt testatur Rom. 4. Apost. *Et signum accepit* (Abraham) *circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.* 2. Propter meritum perfectæ eius obedientiæ, quia data est sub præcepto. 3. Propter distinctionem gentis Iudaicæ. 4. Propter documentum castitatis & pudicitiæ. 5. Propter remedium originalis culpæ. 6. Propter signum generalis circuncisionis à culpa & à pœna, quæ fiet octaua ætate. Tandem 7. In exemplum spiritualis circuncisionis faciendæ.

Circuncisio spiritualis. 4. Ex dictis sequitur, quòd vera circuncisio quadruplicem spiritualem circuncisionem complectatur. 1. Est, carnis per continentiam. 2. Cordis per pœnitentiam. Hier. 4. Hinc Proph. *Auferte præputia cordis vestri.* 3. Labiorum per sermonis modestiam. Tandem 4. aurium per audiendi disciplinam, ne postea audiamus illud: Act. 7. *Dura ceruice & incircuncisis auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.*

Cœlum, Paradisus, Gloria, Ciuitas cœlestis.

1. *Cælum quid sit & quid per cælum intelligatur.*

2. *Ad requiem æternam quæ est in cœlo, festinandum.*
3 *Paradisus multiplex.*
4. *Gloria dicitur omne bonum.*
5. *Ad gloriam quomodo quis admittitur.*
6. *Ciuitas cœlestis desideranda.*
7. *Septem ciuitates nobis præparauit Deus.*

1. COelum etsi communiter accipiatur pro loco beatorum, tamen si distinctionem locorum attendamus, primò sumitur pro cœlo corporali, quòd est triplex. Primum est cœlum aëreum, in quo sunt aues, de quo dicitur. *Respicite volatilia cæli.* Secundum est sydereum, id est, firmamentum, de quo dicitur, *Et vocauit Deus firmamentum cælum.* Tertium est Empireum, in quo sunt Angeli & animæ Sanctorum, & dicitur Empireum, non à calore, sed splendore, quod etiam dicitur spirituale, quia locus est spirituum; cùm tamen reuerà sit corpus. In quo ex visione beatifica emanat summa beatitudo, quæ est *status omnium bonorum aggregatione perfectissimus.* — Cœli acceptiones. — *Matth. 5.* — *Gen. 1.* — *Boëtius lib. 3. de Cons. pros. 2.*

2. Quare ad illam beatitudinem & summam fœlicitatem, in qua æterna & beatifica requies beatarum animarum consistit, summopere festinandum. Primò propter desiderium eorum qui ibidem nos expectant, quia sine nobis non consumma- — Beatitudinis desiderium. — *Heb. 11.*

2. Propter mansionis præsentis periculum.
1. Ioan. 5. *Totus* enim *mundus in maligno positus est.*
3. Propter incertum vitæ terminum. Ideò
Ioan. 12. Christus: *Ambulate dum lucem habetis.*
Matth. 25. 4. Propter exclusionis periculum. Nam virginibus fatuis intempestiuè venientibus dictum est, *nescio vos.* 5. Propter
Apoc. 22. vocantis vocationem: *Spiritus enim &*
Cant. 23. *sponsa dicunt, veni.* Et alibi: *Veni de Libano sponsa, veni coronaberis.* 6. Propter hostium insequentium multitudinem. *Ve-*
Thren. 4 *lociores* enim *sunt persequutores nostri aquilis.* 7. Propter finem laborum vitæ huius. Hinc Propbeta, *Surgite & ite, quia non ha-*
Mich. 2. *betis requiem.* 8. Propter vitæ dispendium, quia iter est durum & asperum. *Arcta enim,*
Matth. 7. inquit Saluator, *est via.* 9. Propter bona
Psal. 121. gloriæ nobis reposita. Hinc Psal. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Paradisi acceptiones. 3. Paradisi verò nomen, etsi primò pro terrestri Paradiso, id est, horto deliciarum, in quo primi parentes à Deo positi, accipiatur: tamen alias in sacris litteris habet acceptiones. Significat enim primò ipsam beatitudinem increatam, quæ est ipsa Dei-
Eccli. 24. tas; de qua Sapiens: *Ego quasi aquaductus exiui de Paradiso.* Deinde sumitur pro beatitudine creata, quæ vel est lumen gloriæ beatis collatum, vel certè visio gloriæ animæ Christi atque diuinitatis eius: de
Luc. 23. qua Saluator: *Hodie mecum eris in Paradiso.* 3. Designat Ecclesiam triumphantem.

Ideò Christus: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Domini mei*. 4. Denotat Ecclesiam militantem, de qua apud Ezech. *Cedri non fuere altiores illo, in Paradiso Dei*, id est, sancti non fuerunt Christo eminentiores in Ecclesia. 5. Significat gratiam diuinam quæ à Sapiente dicitur quasi sit *Paradisus benedictionis*. 6. Puram conscientiam signat; de qua dicitur: *Emissiones tuæ sicut Paradisus malorum punicorum*. Tandem septimò regionem vbertatis ac fertilitatis. Sic dicitur: *Terra regionis Iordanis quasi Paradisus Domini*.

Apoc. 2. *Cap. 31.* *Eccli. 40.* *Cant. 4.* *Gen. 23.*

4. Sed quia nulla maior fertilitas esse potest omnium bonorum, quàm in cœlesti gloria, meritò ea dicitur omne bonum. Primò quia ex charitate diuina seipsum Deus communicat, qui est omne bonum. 2. Quia est status omnium bonorum aggregatione perfectissimus. 3. Quia nihil amplius desiderari poterit: quiescet enim tunc perfectissimè animus, & mens humana. Tunc enim satiabitur cùm apparuerit gloria eius.

Gloria dicitur omne bonū. *Psal. 16.*

5. In hanc gloriæ Abundantiam admittimur per fidem, spem & charitatem, virtutesque morales. Nam in domum conuiuij communiter intrant & admittuntur noti, amici, serui, prudentes, portantes aliquid, & supportantes, & modesti ac bonæ vitæ. Fides efficit Dei cognitionem, *sine qua impossibile est placere Deo*: Amicitiam Dei gignit charitas. Spes exhibere facit

Viæ ad gloriam. *Heb. 11.*

seruitium propter remunerationem ex gratia & meritis. Sagaces verò efficit prudentia, ideò *prudentes* virgines *intrauerunt ad nuptias*. Iustitia verò portat opera & labores, quare vocantur operarij, vt illis conferatur merces; fortitudo verò efficit supportantes & patientes, quæ patientia facit in gloria animas possidere. Tandem modestos efficit temperantia, ideò eum ingressurum in tabernaculum Dei dicit Proph. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, & qui non fecit proximo suo malum.*

Matth. 25. *Matth. 20.* *Psal. 14.*

6. Hæc ergo gloria & ciuitas supernorum ciuium magnopere desideranda, quia est ibi mansio amœna, quam *fluminis impetus lætificat*, & consortium gratum, quia eius habitatio est, *sicut lætantium omnium.* Item fertilitas perfecta; nam beatorum oculus videbit ciuitatem opulentam, *cuius participatio in idipsum.* Et tandem iocunditas perpetua. Cantabunt ibidem canticum Dei & Agni. *Laudant* enim *nomen eius in choro, in tympano, & Psalterio psallunt ei. Exultationes Dei in gutture eorum*, &c.

Desiderium paradisi. *Psal. 45.* *Psal. 86.* *Psal. 120.* *Psal. 149.*

7. Et videte Dei infinitam bonitatem; quia cùm in hac vita, sex ciuitates habitationis contulit, tamen in illis omnibus nos peregrinos esse voluit; in septima tamen, quæ est in Patria, solos ciues effecit; nam in primis nobis contulit animam, in qua morantur virtutes quæ eam ornant &

Septem ciuitates nobis à Deo datæ.

muniunt. 2. Religionem, ſed aliquibus tantùm, cuius ciues ſunt boni religioſi. 3. Eccleſiam militantem, cuius ciues ſunt fideles, quam Chriſtus ſanguine ſuo prævaluit amplificare, *vnde adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis.* 4. Virginem glorioſam, cuius ciuis ſolus Chriſtus, de qua dicitur: *Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* 5. Sacram ſcripturam, cuius ciues ſunt Doctores, qui vocantur ad arcem & ad mœnia ciuitatis à diuina ſapientia. Tandem 6. Societatem Angelicam, & hæc eſt vrbs fortitudinis, in qua vox exultationis & laudis. Septima ciuitas eſt cœleſtis patriæ, quam futuram inquirimus & à longè ſalutamus, ad quam poſt peregrinationem huius vitæ peruenitur.

Eccli. 50.

Pſal. 86.

Prou. 9.

Cœna.

1. *Cœna bona quadrifaria.*
2. *Similiter quadruplex mala.*

1. COENA bona inuenitur corporalis, in qua pauperes reficiuntur; de qua dicitur: *Cùm facis prandium aut cœnam, voca pauperes.* 2. Eſt ſpiritualis, in qua animæ donis cœleſtibus paſcuntur. Vnde dicitur: *Ego ſto ad oſtium & pulſo*, &c. 3. Eſt Sacramentalis, in qua fideles in altari paſcuntur, quam in

Cœna bona.

Luc. 14.

Apoc. 3.

Matth. 26. vltima cœna Christus instituit. *Nam cœnantibus illis accepit panem*, &c. 4. Est cœlestis, in qua beati fruuntur gloriæ ferculis. *Apoc. 22.* De qua dicitur: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Harum cœnarum prima fit inferiùs in valle miseriæ huius vitæ. 2. Interius in thalamo conscientiæ. 3. Exteriùs in tabernaculo Ecclesiæ. 4. Superiùs in palatio gloriæ.

Cœna mala. 2. Porrò cœna mala est: Primò cœna voluptatis, in qua peccatores inebriantur, & significatur per cœnam Holofernis. *Iudith. 12.* 2. Crudelitatis, in qua iusti opprimuntur. *Mar. 6.* Talis fuit cœna Herodis, in qua Ioannem *Math. 23.* Baptistam interfecit. 3. Ambitionis, in qua superbi extolluntur, *qui amant primos accubitus in cœnis.* Et tandem superstitionis & erroris, in qua Dæmones coluntur. De *1. Cor. 10.* qua Apost. *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam*, &c. *nolite comedere de ijs quæ idolis immolantur.*

Compassio. *Vide* Oratio, Misericordia.

Communicare, Communio.

1. *Communicare quid quis debeat.*
2. *Communicare debemus tribulationibus Sanctorum.*
3. *Communicantur Sanctis per fidem quatuor bona.*

4. *Dignè & indignè communicantes quæ bona consequuntur, & quæ mala respectiuè incurrunt.*

1. CVM iustitia reddat hominem obligatum ad proximum, necesse est vt proximo reddat debitum iustitiæ per communicationem bonorum. Nam non solùm debemus singuli, omnibus bona spiritualia, & compassionis viscera patientibus, sed etiam secundùm diuersas qualitates & conditiones, magis & amplius proximo communicare, de bonis à Deo collatis. Sic diuites communicare debent pauperibus superflua. Hinc Apost. *Diuitibus huius seculi præcipe tribuere & communicare.* Sic etiam Sapientes communicare debent ignorantibus documenta ad instar eius qui dixit: *Sine fictione didici, & sine inuidia communico.* Sic Sacerdotes inferioribus Sacramenta. Sicut Apost. *erant in communicatione fractionis panis.* Sic potentes infirmioribus obsequia, ex Apostolico præcepto, *necessitatibus Sanctorum communicantes.* Sic tandem inferiores superioribus stipendia liberaliter communicare debent, vt ait Apost. *Communicet autem qui catechizatur ei, qui se catechizat in omnibus bonis.*

Communicanda sunt bona.

1. Tim. 6.

Sap. 7.

Act. 2.

Rom. 12.

Gal. 6.

2. Sanctorum autem tribulationibus communicamus, Primò compatiendo: sic Hebræi laudantur, *quod vinctis compassi fuissent.* 2. Cum eis sustinendo aduersa,

Cõmunicandum tribulationibus.

Heb. 10.

Apoc. 1. sic Ioannes vocat se *participem in tribulatione & regno.* 3. Eis subueniendo, ideo dicit Apost. ad Philemonem: *Viscera sanctorum quieuerunt per te.* 4. Tandem pro eis orando, sicut *sine intermissione*
Act. 12. *orabat Ecclesia* pro Petro vincto ab Herode.

Communicatio fidel. bonorum. 3. Communicantur fidelibus per fidem quatuor bona. 1. Temporalia. Nam *Erant illis omnia communia.* 2. Sacramenta. Nam
Act. 4. est illis: *vna fides, vnus Dominus & Baptisma.* 3. Suffragia. *Participes enim sunt*
Eph 4. *Psal. 118.* *omnium timentium Deum.* Tandem 4.
Psal. 132. præmia. *Ecce enim* (dicunt) *quam bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.*

Diuersi communionis effectus. 4. In ijs qui dignè accedunt ad communionem Eucharistiæ, effunduntur gratiarum dona amplissima. Primum est Christi commemoratio, in cuius memoriam sumitur, scilicet & dilectionis eius, & liberationis nostræ. 2. Interior viuificatio, per internam purgationem, illuminationẽ, perfectionẽ, refectionem, & viuificationẽ. 3. Spiritualis refectio. Est enim Eucharistica communio, ægris medicina, peregrinantibus via, immò debiles confortat, sanat, & sanitatem conseruat gratiæ: fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actionem deuotior. Econtrà malè communicantes multa mala incurrunt. Nam

hominem magis illaqueat, damnationem præparat, iudicium sumit, proximum scandalizat, mentem excæcat, & tentationi subijcit. De quibus Dauid: *Fiat mensa coram ipsis in laqueum*, &c. Tandem addit quòd Deum irritat, & vitam abbreuiat, & gratuitis spoliat, dicens, *Effunde super eos iram tuam*, &c. *Psal. 68.* *Ibid.*

Confessio.

1. *Confessio quadruplex est.*
2. *Confessio necessaria est, quomodo & quando fieri debet peccatorum.*

1. Confessio quadruplex est. Prima est peccati, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ. De qua Iacobus: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Alia est confessio fidei, qua scilicet fidem profitetur quilibet Christianus, tempore & loco debitis. De qua Apost. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Tertia est confessio diuinæ laudis. De qua dicit Sapiens: *Confitebor te Domine Rex & collaudabo.* Quarta est propriæ infirmitatis: De qua Ioannes Baptista dedit exemplum. *Confessus enim est, & non negauit, quia non sum ego Christus.* Confessio multiplex. *Iacob. 5.* *Rom. 10.* *Eccli. 51.* *Ioan. 1.*

2. Confessio autem peccatorum in Sacramento pœnitentiæ omnibus actualiter peccantibus est ad salutem necessaria, & Confessionis necessitas.

dicitur secunda Tabula post naufragium; prima enim tabula Baptismus est, ad quam, ex præcepto Ecclesiæ quilibet Christianus semel in anno circa Pascha tenetur, & dum periculum imminet mortis, aut aliquid agitur, vbi probabiliter mors imminere potest, vt est longa nauigatio, aut instans conflictus: si copia confessarij haberi potest. Estque instituta confessio à Christo, Ioan. 20. dicente: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. In ea Deo
Iosue 7. gloria datur, vt patet Iosue. *Fili da gloriam Deo & confitere*, &c.

Consilium.

1. *Tria genera consiliorum.*
2. *Malorum consiliorum tria genera, sicut & bonorum & dubiorum.*

Varia consilia. 1. Consilia quæ aliquando dantur aut accipiuntur, sunt tria. Alia quædam destruenda, quia apertè mala. De qui-
2. Cor 10. bus ait Apost. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt & destruentes consilia.* Alia sunt consilia adimplenda, quia apertè bona. De
Prou. 12. quibus dicit Salomon: *Qui sapiens est audit consilium.* Alia tandem sunt examinanda quia dubia. De quibus Seneca. Proprium prudentis est, examinare consilium, & non citò facili credulitate ad falsa prolabi.

Consiliũ malum. 2. Consilium malum triplex est, carnis

ſcilicet,mundi,& Diaboli Primum eſt voluptatis & immunditiæ, & deliciarum concupiſcentiæ, quæ conſulit caro. Tale fuit conſilium Achitophel. *Ingredere*, inquit, *ad concubinas Patris tui* Hoc eſt conſilium Epicureorum,de quo Salomon :*Hoc itaque mihi viſum eſt bonum vt comedat quis & bibat*, &c. Secundum eſt, contentionis & vindictæ in diuitiarum congregatione, quæ conſulit mundus. Hinc Iacob moriturus: *Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea*. Hoc eſt conſilium aduocatorum:Tale fuitConſilium Iezabelis. *Surge, poſſide vineam Naboth*. Tale erat Conſilium diuitis: *Deſtruam horrea mea*, &c. 3. Eſt conſilium elationis & ſuperbiæ in dignitatum ambitione, & hoc conſulit Diabolus; ipſe enim eſt princeps ſuper omnes filios ſuperbiæ. Tale fuit conſilium Iuuenum datum Roboamo ad oppreſſionem ſubditorum. Et eſt conſilium Tyrannorum & politicorum. De quibus Pſalm. *Cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire*. Tale fuit conſilium Sedechię Filij Iemla.

2. Reg. 17. Eccle. 5. Gen. 49. 3. Reg. 21. Luc. 12. 3. Reg. 12. Pſal. 20. 3. Reg. 45.

Conſiliorum verò bonorum tria ſunt genera. Primum eſt caſtitatis & temperantiæ. Tale erat Apoſtoli; *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*. Hoc eſt conſilium Eunuchorum Chriſti, *qui ſe caſtrauerunt propter regnum Dei*. 2. Eſt pacis & concordiæ. Vnde Salo-

Conſiliũ bonum. 1. Cor. 7. Matth. 19

Prou. 12. mon : *Qui pacis ineunt consilia , sequetur eis gaudium*. Hoc est consilium mansuetorum. Tale fuit consilium Ionathæ. 3. Est humilitatis & obedientiæ. De quo Tobias : *Omnia consilia tua in ipso permaneant*. Tale est consilium Christi. *Qui vult venire post me , abneget semetipsum*. & hoc consilium est religiosorum.

1. Reg. 19. Tob. 4. Matth. 16.

Consilia dubia. Dubiorum verò consiliorum examen est necessarium. Primò propter hypocritarum fraudulentiam. Hinc sapiens: *A consiliario malo serua animam tuam*. Huius rationem reddit Salomon, dicens: *Consilia impiorum fraudulenta*. Secundò propter carnalium stultitiam; ideò dicitur: *Cum fatuis non habeas consilium*. Et rationem dat Esaias: *Consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens*. 3. Propter amoris incertitudinem. Ideò dicit Sapiens : *Cor boni consilij statue tecum*. Cuius ratio est : *Coram extraneis ne facias consilium , nescis enim quid tibi crastina pariat dies*. Præter supradicta consilia sunt consilia Euangelica quæ simpliciter sunt perfectionis , quia sunt Christi dicentis : *Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes , & da pauperibus*.

Eccli. 38. Prou. 12. Eccli. 8. Cap. 19. Eccli. 38. Eccle. 8. Matth. 19.

Conscientia. *Vide* Synderesis.

Consolatio. *Vide* Tribulatio.

1. *Quadruplex consolatio inuenitur.*

2. *In morte amicorum quare solari debemus.*

1. Consolationes sunt in quadruplici differentia. Primæ sunt carnales & malæ, de quibus Christus: *Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram.* Secundæ sunt bonorum amicorum licitæ. Talis erat consolatio amicorum Iob. *Condixerant enim vt pariter venirent & visitarent eum & consolarentur.* Tertiæ sunt spirituales & meritoriæ. De quibus Psal. *Secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Quartæ tandem æternales & remuneratoriæ. Talis erat Lazari: nam ad diuitem epulonem dixit Abraham: *nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Consolationes variæ. — Iob. 2. — Psal. 93. — Luc. 16.

2. Consolari inuicem debemus in morte amicorum. Primò, quia omnes sequuturi sumus præeũtem; omnia enim sic ibant, ibimus, ibitis, ibunt. Sic Dauid de filio mortuo. *Ego vadam ad eum, ille non reuertetur ad me.* 2. Propter diuinum de morte datum iudicium. Ex quo Domino sic placet, voluntas eius fieri debet. *Hoc enim iudicium à Domino omni carni.* 3. Propter modicum huius tristitiæ fructum. Nihil enim luctus iuuat aut viuo aut mortuo. Hinc Sapiens: *Huic nihil proderis & teipsum pessimabis.* 4. Propter spem resurrectionis eorum. Nam neq; interit ille

De morte amicorum consolationes. — 2. Reg. 12. — Eccli. 41. — Eccli. 38.

qui vita defungitur, quia adhuc viuit: Quare in huiusmodi spe consolatio nobis confertur. Tandem 5. propter bonum quod consequuntur morientes. Vadit enim ad meliorem vitam. Vnde Sapiens: *Modicè plora super mortuum, quoniam requieuit.* *Eccli. 28.*

Contemplatio. Consideratio, *Vide* Homo.

1 *Contemplationis quatuor gradus,*

2. *Ad visibilia malè contemplanda mouent tria.*

3. *Ad inuisibilium contemplationem iterum tria mouent.*

Contemplationis gradus. 1. QVatuor gradus contemplationis tangit sacra Scriptura. Primus est faciei Dei reuelatio, qua Deitas in imagine siue potius ænigmate videtur, & per hoc interior oculus expeditur, & purgatur à visione rerum terrestrium. Secundus est gloriç Dei speculatio, qua oculus interior ad contēplādas Dei perfectiones dirigitur. Tertius est, quo illi mens per affectum assimilatur, & est in imaginem transformatio. Quartus quo ad amplius cognoscendum, oculus mentis clarificatur, & dicitur de claritate in claritatem translatio.

Contemplationis impedimenta. 2. Ad malè contemplandum, siue speculandum transitoria & visibilia, tria mouent; Primū est voluptas carnalis. Nam de duobus

duobus senibus dicitur, quòd *erant in horto absconditi, contemplantes eam.* Et est speculatio luxuriosorum. 2. Est cupiditas temporalis, estque contemplatio auarorum: Sic seruus Ioseph contemplatus est pecuniam in ore sacculi. Sic Achan contemplatus est regulam auream & purpuream chlamidem. 3. Est curiositas inutilis. Vnde Salomon: *Mens mea contemplata est multa.* Et: *Omnia hæc tractaui vt intelligerem* curiosè. Et hæc est contemplatio superborum. Dan. 13. Gen. 42. Ios. 7. Eccles. 1.

3. Ad inuisibilium contemplationem tria itidem mouent. 1. Perfectio beatitudinis. nam vt Iob ait de Aquilis, id est, contemplatiuis: *De longe contemplatur escam.* 2. Amœnitas regionis cœlestis: sic dictum est figuraliter Moysi: *Ascende in montem istum, & contéplare & vide terram,* &c. 3. Æternitas iucunditatis. Hinc Apost. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur,* &c. Contemplationis incitamenta. Cap. 39. Num. 27 2. Cor. 4.

Contentio, lis.

1. *Multiplex contentio.*
2. *Ad contentionem mouent plura.*
3. *Contentionis praua qualitates recensentur.*

1. MVltiplex inuenitur Contentio. Prima quæ est Sanctorum, accipi- Contentio multiplex.

tur pro conatu, cum virtute ac vi. De qua
Luc. 13. Christus: *Contendite intrare per angustam portam*. Secunda est superborum, de qua
Cap. 2. Apost. Philip. hortatur: *Nil per contentionem, neque per inanem gloriam*. Tertia est
1. Cor. 11. litigiosorum, de qua Apost. *Si quis videatur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus*. Quarta est aduocatorum, sed hæc apud Christi discipulos non habet locum. Ille enim decernit,
Matth. 5. *qui vult*, inquit, *in iudicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Quinta est pugnantium, de
1. Cor. 9. qua Apost. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus abstinet*.

Contentionis incitamenta. 2. Ad contentionem litis ac litigium multa incitant: Primò præsumptio superba & insana, quæ sæpè cum Deo de
Iob. 39. iustitia contendit. De quibus Iob: *Nunquid qui contendit cum Deo, requiescit?*
Prou. 3. 2. Liuoris inuidia, ideò Salomon: *Ne contendas aduersus hominem frustra, cum ipse nihil mali tibi fecerit*. 3. Rancoris ira, contra dicitur: *Honor est homini qui separat se*
Prou. 20. *à contentionibus*. 4. Contrarietas sensuum.
Ps. 106. Hinc Psal. *Effusa est contentio super principes*, &c. 5. Cupiditas temporalium. Tolle enim meum & tuum, nulla erit lis, aut contentio. Patet in discipulis Christi, nam quidam de turba cum interpellauit, dicens:
Luc. 12. *Magister dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem*. 6. Incitat vtilitas meriti & delectabilitas præmij, & hæ duæ vlti-

mæ sunt bonæ. Sed eheu ! omnium vltimò contendet ipse Deus contra litigatores, vt patet per Proph. *Ecce ego iudicio contendam tecum.* Hier 2.

Contentionum causæ.

3. Contentiones ergo vitandæ. Quædam enim oritur ex rebellione : sic Moyses exprobrauit Filijs Israël : *Adhuc viuente me & egrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum.* Deut. 31. Alia oritur ex dissensione, vt patuit ex Psal. de dissensione principum. Suprà. 3. Est æmulationis, vnde dicebat Apost. *Quidam ex contentione Christum annuntiant* Philip. 1. 4. Est disputationis ; de qua Iob. *Respondete obsecro absque contentione.* Iob. 6. 5. Est disceptationis, de qua Iob : *Si voluerit (homo) contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille.* Iob. 10. 6. Est litigationis, de qua Sapiens : *Ne contendas cum homine potente, ne constituat litem tibi.* Eccli. 8.

Conuersatio.

1. *Conuersationem bonam (bene viuendo) in mundo instituere difficile est.*
2. *Odorem sanctæ conuersationis bonum quæ reddunt.*

Conuersari bene difficile.

1. Bene viuere sanctè conuersando in hoc mundo ferè impossibile est, quia mundus est vanitate plenus ; *vanitas enim vanitatum & omnia vanitas.* Eccles. 1 2. Quia

1.Ioan.5. malignus. *Totus enim mundus in maligno positus est.* 3. Quia plenus periculis. Hinc
Isai. 24. Proph. *Formido & fouea & laqueus super te qui habitator es terræ.* 4. Quia immundi-
Psal. 39. ditiâ plenus est: de quibus Proph. *Eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis.* 5. Quia
Ioan. 16. mundus inquietus est. *In mundo pressuram habebitis.* Et, *persequentur in vna ciuitate & in alia.* 6. Quia deceptione plenus.
Psal. 75. Psal. *Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.* 7. Quia transitorius est mundus. *Transit enim mundus & concupis-*
1 Ioan. 2. *centia eius.*

Bonæ conuersationis causæ. 2. Porrò sanctam conuersationem & odorem bonæ vitæ efficit, Primò humilitas sicut aromaticæ species, dum conteruntur. Hinc sponsa: *Nardus mea dedit odo-*
Cant. 10. *rem suum.* 2. Castitas, sicut hæ species dum
Eccli. 24. siccantur. *Quasi*, inquit, *Myrrha electa dedi suauitatem odoris.* 3. Facit deuotio sicut
Eccli. 24. aromata dum cremantur. *Ego*, inquit, *quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* 4. Pietas, sicut aromata dum diffunduntur. Hinc
Cant. 1. sponsa. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* 5. Oratio sicut fumus aromatis
Apoc. 5. dum eleuatur: *Ascendit enim fumus aromatum in conspectu Dei de manu Angeli.* 6.
2. Cor. 3. Prædicatio bona; nam *odorem iustitiæ suæ*, inquit Apost. *manifestat per nos.* 7. Bona opinio & bona fama, sed opera famæ responderi debent, & sic instituitur bona conuersatio.

Cor. *Vide* Præparatio.

1. *Dominus cordi multa bona facit & homo econtrà mala.*
2. *In corde suo multi diuersimodè dicunt plura.*

1. HVmano cordi multa bona facit Deus, (cor autem vocamus mentem, id est, animam hominis in quantum recolit & reminiscitur aut cogitat.) etenim, Primò, purificat cor per fidem, sicut sol purificat aërem per radios suos. Hinc D. Petrus. *Fide purificans corda eorum.* 2. Inflammat per charitatem, sicut sol stuppam sibi oppositam, mediante speculo. Hinc Psal. *Inflammatum est cor meum & renes mei.* 3. Lætificat per spem. *Dedisti*, inquit Psal. *lætitiam in corde meo.* Et Psal. *Viriliter agite & confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.* 4. Dirigit per prudentiam, sicut Magister discipulum. Hinc Apost. *Dominus dirigat corda vestra.* Quintò roborat per fortitudinem, sicut cibus infirmum roborat. Hinc illa fortis Iudith: *In corde meo, Domine, consilia robora.* 6. Probat per iustitiam, sicut Dominus probat seruum. *Tu Domine*, inquit Psal. *tenta me & proba me, vre renes meos & cor meum.* Et, *Probasti cor meum & visitasti nocte, & non est inuenta in me ini-*

Operationes cordis à Deo.
Act. 15.
Psal. 72.
Psal. 4.
Psal. 30.
2. Thess. 3.
Iudith. 9.
Psal. 24.
Psal. 16.

quitas. Tandem disciplinat per temperan-
Psal. 118. tiam. Hinc Psal. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*. Sed eheu! Homo qui *per malitiam occidit animam suam*, obscurat sæpè cor suum incredulitate; de
Rom. 1. quibus Apost. *Obscuratum est insipiens cor*
Act. 7. *eorum*. Deinde obdurat, *& dura ceruice Spiritui sancto resistit*, grauat pusillanimitate, & ad malum inclinat, vt abeat post vanitatem cordis sui. Et illud longè faciunt, à disciplina bonitatis.

2. Quare non est mirum si varios con-
Op. cordis à malis. ceptus, & verba mentis concipiant in cordibus suis homines. Quare mali & impij pessimè de Deo loquuntur in corde suo habentes cor malum incredulitatis, de
Psal 13. quo Psal. *Dixit insipiens in corde suo, non*
Iudith 6. *est Deus*. Sic dicebat Holofernes. 2. De seipsis loquuntur præsumendo. Sic illi de quibus Salomon: *Venite fruamur bonis*. Et
Sap. 2. Eccles. 2. Esai. 14. ipse Salomon: *Dixi in corde meo, vadam & affluam delitiis*. Sic dicebat Lucifer: *In cælum ascendam*. 3. Malè loquuntur de
Psal. 27. proximo, de quibus Dauid: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*. Sic Pharisæus in corde suo contemptim loquebatur de Pu-
Luc. 10. blicano. Aliter loquuntur pœnitentes; illi enim tria verba dicũt in corde suo. Primò
Psal. 40. veniam deprecando, sic Dauid, *Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi*. 2. Confessionem propo-
Psal. 12. nendo. *Dixi*, inquit Regius Propheta, *con-*

fitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. 3. Satisfactionem promittendo. *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Iusti autem in corde rectè loquuntur, primo de Deo rectè sentiendo: *Dixi: Dominus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.* 2. De se parum reputando, vt ait Psal. *Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* 3. De proximo multum solliciti. Apost. *Pax fratribus & charitas cum fide.*

Psal. 38. *Psal. 30.* *Psal. 76.* *Eph. 6.*

Corona.

Quadruplex corona quam iusti expectant.

Corona quadruplici Sancti coronandi sunt, iuxta quadruplicem differentiam meritorum; primò est corona Iustitiæ, communis omnibus Sanctis, quam sibi repositam Apostolus gloriatur. 2. Est Continentiæ, specialis virginum; hæ etenim incorruptibilem coronam cōsequentur. 3. Est patientiæ, specialis Martyrum, de qua Iacobus: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Quarta tandem est specialis Doctorum. Hinc Apost. *Quæ est nostra corona gloriæ? Nónne vos per Dominum Iesum?* Est corona regum insigne, & victoriæ Symbolum; omnes enim beati reges sunt regnantes in cœlo, *quoniam vicerunt* Diabolum *in sanguine agni.*

Coronæ Sanctorū. *2. Tim. 4* *Cap. 1.* *1. Thess. 3.* *Apoc. 12.*

Correptio, Correctio.

1 *Correctio qualis esse debeat.*
2 *Rectoribus quæ consideranda in correctione.*
3 *Quis finis & vtilitas correctionis.*

Correctio fraterna. 1. CO rreptio quæ fit à fratre ad emendationem delinquentis, atque adeò fraterna dicitur, suas leges recipit à Christo, & est in præcepto. Et hæc primò debet esse discreta, ne faciat de claue clauam. Hinc Sapiens: *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris, corripe iustè.* 2. Debet esse modesta, ne faciat de claue clauum. Vnde Apost. *Vos qui spirituales estis, corripite huiusmodi in spiritu lenitatis.* 3. Debet esse ordinata, secundùm ordinem Euangelicum, ne prodat fratris crimen. Hinc Christus: *Corripe eum inter te & ipsum solum.* 4. Charitatiua. *Nolite*, inquit Apost. *quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem.* 5. Debet esse vera, ne sub prætextu iustitiæ exerceat vindictam. Nam vt rectè Sapiens, *Correctio mendax in ore contumeliosi.*

(Matth. 18. — Eccli. 19. — Gal. 6. — Matth. 18. — Thess. 5. — Eccli. 19.)

Modus corrigendi. 2. Rectores authoritatem habent corrigendi, idest, monendi delinquẽtes: sed etsi virgam habent correctionis, in eius vsu plura considerari debent; primò considerare debent quis virga vtitur, quia Sapiẽs.

Nam

nam gladius vel virga in manu ſtulti periculoſa eſt. 2. Qua intentione, quia *virga & correctio tribuit Sapientiam*, inquit Salomon: ergo in charitate & iuſtitia. 3. Quomodo vtitur, non enim rectores in carnifices, ſed in paſtores inſtituuntur, quare vitia emendanda ſunt & natura diligenda. Prou. 29.

3. Finis correptionis ac correctionis debet eſſe corrigere negligentes, Sapientiam conferendo; vt patuit ſuprà ex Salomone. 2. Promouere ſapientem, in melius excitando; *plus enim proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum*. 3. Ad increpandum pertinaces, ſigno & verbo; nam *melior*, inquit Salomon, *ira riſu, quia per triſtitiam viſus, corrigitur animus delinquentis*. Et, *Melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſconditus.* Prou. 17. Eccleſ. 7. Prou. 27.

Corruptio. *Vide* Fermentum.

Multiplex corruptio inuenitur homini perniciosa.

OMitto corruptionem corporis, quæ quandoque eſt vtilis, ad hoc ſaltem, vt homo non amet corporis voluptates: ſed cupiat diſſolui à corpore, quod corrumpitur & aggrauat animam. Eſt alia corruptio, quæ multipliciter contingit. Eſt enim corruptio, qua ſana do- Corruptiones variæ.

ctrina corrumpitur per falſam doctrinam, hæreſim & errores ; de qua Apoſtolus,
1. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Corrumpitur ſecundò mundus affectus, per ſordidam mundi concupuiſcentiam;in
Exod. 8. cuius figura *muſca corrupit totam terram*
2. Pet. 1. *Ægypti.* Ideò hortatur D. Petrus, *Fugientes eam, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* 3. Corrumpitur bona operatio
1. Cor. 5. per prauam intentionem, ſicut *modicum*
Luc. 12. *fermentum totam maſſam fermentat*, & ideò Chriſtus: *Attendite à fermento Phariſæorum.* Quartò corrumpitur ipſum corpus per gulam & libidinem. Ideò Apoſt.
Gal. 6. *Qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem.* Quintò corrumpitur ſenſus per incautam euagationem, ſicut munere cor-
2. Cor. 11. rumpitur Iudex. Ideò Apoſt. *Timeo ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam, ita corrumpantur ſenſus veſtri.* Sextò corrumpitur fraterna charitas & fidelitas per fraudem & dolum, ſicut tandem ipſe proximus prauo exemplo, ſicut baſiliſcus viſu inficit aërem, &
Apoc. 11. tales ſunt exterminandi, *quia corruperunt terram.*

Crux.

1. *Crux gloria Chriſtianorum.*
2. *Crucifixi mundo qui, & quomodo, & qui non.*

1. CRux Chriſti meritò eſt gloria Chriſtianorum in qua cum Apo-

ſtolo maximè gloriari debent, quia in cruce pependit Dei gloria, Filius ſcilicet Patris æterni. 2. Quia per crucem patet gloria cæli. Eſt enim *clauis Dauid*, cum qua Chriſtus *aperuit, & nemo claudet gloriam Cæli*. 3. Quia per crucem Chriſto ſubiecta eſt gloria mundi, nam *factus obediens vſque ad mortem*, ideo ei *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum*. Quartò, quia per crucem euacuata eſt gloria Diaboli de victo homine. Vnde *benedictum dictum eſt lignum, per quod fit iuſtitia*. *Eſaiæ 22.* *Philip. 2.* *Sap. 14.*

2. Fit dum omnes cruci affigi cum Chriſto debeamus vt cum illo glorificemur, tamen non eodem modo ſunt omnes cruci affixi. Quidam ſunt crucifixi mundo & mundus eis, ſcilicet qui à mundo contemnuntur & mundum contemnunt. Alij mundo crucifixi ſunt, ſed non mundus eis; quia contemnunt quidem illi mundum, ſed à mundo non contemnuntur, ſed honorantur. Tertij mundo crucifixi ſunt, ſed illis mundus non, quia etſi eos mundus contemnit, ipſi tamen mundum non contemnunt, ſed in corde amant. Quarti tandem nec mundo crucifixi ſunt, nec mundus eis. Primi ſunt boni religioſi; ſecundi boni prælati & ſancti viri; tertij mali religioſi & hypocritæ; Quarti ſeculares & mundani. Quinam crucifixi.

Curſus, Currere.

Curſus Spiritualis multiplex.

Curſus varij ad gloriam. CVrrunt omnes ad brauium. Quidam verò curſu bonæ conuerſationis. Hinc Apoſt. *Currebatis benè, quis vos impediuit?* (Gal. 5.) quidam verò curſu diuinæ dilectionis. De qua Apoſtolus: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* (1. Cor. 12.) 3. Curſu ſupremæ contemplationis: *Omnes quidem currunt*, inquit Apoſt. *ſed vnus accipit brauium*, (1. Cor. 9.) quod omnes intendunt capeſſere. 4. Curſu ſanctæ prædicationis. Nam ſic currebat Apoſtolus, non quaſi in incertum, &c. Sed ne dum cæteris prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. 5. Curſu vitæ præſentis; non enim fecit Apoſtolus animam ſuam pretioſiorem, *vt conſummaret curſum ſuum*, (Act. 20.) 6. Curſu bonæ famæ; *currunt* enim Sanctæ animæ & ſponſæ *in odorem vnguentorum*, (Cant. 1.) id eſt, ſanctæ conuerſationis in bono nomine. Tandem 7. Curſu Martyrij & Paſſionis; & *hac eſt via compendij*, (2. Reg. 18.) per quam per patientiam curramus.

Debitum. *Vide* Pauperes. Homo. Deliciæ.

Triplices ſunt deliciæ; carnales fugiendæ, ſpirituales diligendæ, & cæleſtes conquirendæ.

TRia sunt genera deliciarum, quorum primum est fugiendum, quia est carnale; huiusmodi enim carnales deliciæ, Primò causant lasciuiam dissolutionis, & inducunt phrenesim spirituale͞. Hinc animæ delicijs plenæ dicitur: *Vsquequò delicijs dissolueris filia vaga?* 2. Contumaciam & rebellionem. Equus enim impinguatus recalcitrat, id quod Moyses indoluit, dicens de Israëlitis: *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, impinguatus, incrassatus, & dilatatus.* 3. Causant mortem spiritualem & sæpè corporalem. De spirituali constat in diuite Epulone qui mortuus, *Sepultus est in Inferno.* Quartò causant æternam damnationem, sicut ornatus meretricius mulieri, cui dicitur; *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum.* Spirituales deliciæ scilicet quæ oriuntur ex conscientia munda & recta, & sanctis operibus. Causant enim, saluberrimam Dei, & diuinarum rerum cognitionem, sicut vitrum quantò delicatius tantò lucidius est. Ideò dicebat Dauid: *Nox illuminatio mea in delicijs meis.* 2. Causant diuinam dilectionem. Hinc sponsus in Canticis, *Quam pulchra es & decora*, quam charissima *in delicijs*, cœlestibus scilicet. 3. Causant internam consolationem. Et hoc affirmat Proph. *Repleamini ab vberibus consolationis, vt mulgeatis & deliciis affluatis.* 4. Deducunt ad supernam fruitionem; *Quæ est ista*

Deliciæ variæ. Carnales. *Hier. 31.* *Deut. 32.* *Luc. 16.* *Apoc. 18.* Spirituales. *Ps. 138.* *Cant. 7.* *Esaia 66.* *Cant. 3.*

qua ascendit de deserto deliciis affluens? dicunt beati admiratione, de anima ascendente ad æternam fruitionem. Ex quibus patet quòd cœlestes deliciæ acquirendæ sunt. 1. Per opera pœnitentiæ. 2. Per documenta sacræ doctrinæ. 3. Per opera misericordiæ, & per preces, & thesaurum Sacramentorum.

Deus, Dei, Deo.

1. *Nomen, Deus, dicitur diuersimodè de multis.*
2. *Deus est Dominus omnium per creationem, & quid oratio.*
3. *Deus qui multis modis cognoscitur & agnitus est olim.*
4. *Deus dicitur Pater noster, & maximè Pater est Christi.*
5. *Deus est omnipotens.*
6. *Deus est clemens & propitius, fecit & nouit & regit omnia.*
7. *Deus vult omnes saluos fieri.*
8. *Deus est benedictus.*
9. *Deus propè est omnibus & maximè orantibus.*
10. *Deus quæ & qualia promittat Sanctis.*
11. *Deus quomodo inhonoretur.*
12. *Deus septem modis punit peccatores.*
13. *Dei bonitas quanta erga peccatores.*
14. *Dei voluntas quomodo probanda.*
15. *In manu Dei sunt septem.*
16. *Dei nomen quomodo clarificandum.*
17. *Dei Filij qui dicuntur.*

18. *Dei promißiones sollicitè acquirendæ.*
19. *Deo quomodo seruiendum.*

1. HOc nomen Deus etsi soli Deo qui trinus & vnus est propriè attribuitur, tamen de alijs ab ipso vero Deo aliquando dicitur. Primò de idolis falsa nuncupatione, ideò Psal. *Quoniam omnes dij gentium Dæmonia.* 2. De iustis, gratuita adoptione, Psal. *Ego dixi, dii estis.* 3. De delegata potestate, & prælatione hominũ, vt est Exodi. *Ego constitui te Deum Pharaonis*, dixit Dominus ad Moysem. Et alibi mandat Dominus, *Diis*, inquit, *non detrahes.* 4. Tandem de essentiæ proprietate, & natura. Sic tota Trinitas dicitur Deus. Et Exod dicitur, *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.*

Dei appellatio. *Psal. 95.* *Psal. 82.* *Exod. 7* *Exod. 23.* *Exod. 22.* *Exod. 22.*

2. Deus verò qui essentiâ & naturâ Deus est, dicitur & vocatur Dominus, Primò, quia est omnium Dominus per creationem. Porro creatio, vel dicit, de nihilo in esse naturę aliquid facere, sic omnes res creatæ sunt à Deo, Iuxta illud, *In principio creauit Deus cælum & terram.* Vel dicit, de nihilo moris aliquid in esse moris facere, iuxta illud Apost. *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate.* Quæ scilicet in illo non fuit. Quare meritò Malachias: *Nunquid non vnus Deus creauit nos?* 2. Est Dominus omnium Christianorum per fidem: Hinc Apost. *Qui est saluator*

Deus verus Dominus omnium. *Gen. 1.* *Eph. 4.* *Cap. 2.*

1.Tim.4. *omnium, maximè autem fidelium.* 3. Omnium iustorum per gratiam inhabitantem. Hinc Apostolus referens locum ex Leui-
1. Cor. 6. tico dicit: *Inhabitabo in illis, & ero eorum Deus.* 3. Est Dominus Apostolorum per
Ioan. 20. specialem electionem. Sic Christus: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum,* scilicet per electionem & adoptionem filiorum. Tandem est Dominus omnium beatorum per inseparabilem fruitionem.
Psal. 32. Quapropter regius Propheta: *Beata gens cuius est Dominus Deus eorum.*

Notitia Dei. 3. Non vno modo Deus seipsum notum fecit generationibus quæ sub cœlo fuere vel ab initio mundi. Nam alijs seipsum manifestauit agnoscendum per naturalem rationem, id quod Apost. satis declarat,
Rom. 1. dum dicit: *Inuisibilia Dei,* ac sempiternam eius virtutem & diuinitatem nota fuisse per Dei manifestationem, & per lumen rationis. Alij autem agnouerunt per creaturarum considerationem; quod ibidem addit Apost. dum dicit: *Per ea quæ facta sunt*
Sap. 13. *intellecta conspiciuntur.* Et Salomon: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri.* Sicut ergo agnus per naturalem instinctum agnoscit matrem, & per opus deuenitur in notitiam artificis; sic ex naturali ratione & consideratione creaturarum Deus agnoscitur. Alij præterea nouerunt per Angelicam reuelationem factam Abrahæ & multis alijs. Alij per humanam eruditionem

vt testatur Dauid: *Quanta audiuimus & cognouimus ea, Patres nostri annunciauerunt nobis.* Alij per scripturarum inspectionem, quare Christus misit Iudæos ad scripturas; *Scrutamini Scripturas.* Et, *Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus?* Alij per gratiæ infusionem. Hinc Propheta Dauid: *Illuminet vultum suum super nos*, &c. *Vt cognoscamus in terra viam suam*, &c. Sic Paulus Christum cognouit. Tandem alij per miraculorum operationem: *Magna*, inquit, *opera Domini*, &c. *Psal. 77.* *Ioan. 5. & 7.* *Psal. 66.* *Psal. 110.*

4. Dicitur autem Deus Pater noster authoritate Christi, qui in oratione Patrem nostrum vocare voluit; Est tamen multis rationibus reipsa Pater noster. Primò ratione creationis, dicente Moyse: *Nunquid non ipse est Pater tuus qui possedit te*, &c. Deinde ratione regenerationis. Hinc Apost. loquutus de Christo: *Dedit semetipsum pro nobis, vt eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundùm voluntatem Dei & Patris nostri.* 3. Ratione educationis. Vnde Christus: *Scit enim Pater vester, quibus indigetis. Et, Filios, enutriui, & exaltaui, & ipsi spreuerunt me.* Quartò ratione castigationis. Ideò Apost. *Quis enim filius quem non corripit Pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri, non filij estis.* Quintò ratione affectionis. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Sextò ratione adoptionis: *Accepistis*, inquit *Deus Pater noster.* *Deut. 32.* *Gal. 1.* *Matth. 5.* *Esaiæ 1.* *Heb. 12.* *Ioan. 16.*

Rom 8. Apost. *Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.* Septimò ratio-
Esai. 36. ne eruditionis. *Pater* enim *filiis notam faciet veritatem suam*, dicebat in sua confessione Rex Ezechias. Octauò tandem ratione successionis; *nam si filij*, inquit
Rom. 8. Apost. *& hæredes.* Et: *Nolite timere pusillus*
Luk. 12. *grex, placuit enim Patri vestro dare vobis regnum.* At verò præclarioribus titulis ac

Christus Filius Dei.

tionibus Christus dicitur filius Dei. Primò ratione prędestinationis, iuxta Apost. *Qui*
Rom. 1. *prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis*, vt dictum est suprà. Nam in conceptione Angelum destinauit, in natiuitate Angelico ministerio & miraculorum indiciis declarauit. In baptismate id testificatus est, sicut & in transfiguratione. In resurrectione eum suscitauit, & in ascensione ad dexteram suam collocauit. Atque in futuro extremo iudicio, potestatem iudicandi ei contulit, & omne iudicium dedit.

Deus quo modo omnipotens.

5. Hic ergo Deus, Pater noster, etiam omnipotẽs dicitur per excellentiam; nam alij potentes quandoque dicuntur, quia principatum aliquem habent: at Deus longè eminenter. Nam ipse est potens ex se, sine alterius dono, *non enim est potestas*
Rom. 13. *nisi à Deo.* 2. Per se, sine alterius admini-
Rom. 11. culo. *Quis enim consiliarius eius fuit?* inquit Apost. 3. Potest omnia, pro sua volun-
Sap. 12. tate; *subest enim tibi*, inquit diuina Sapien-
Psal. 313. tia, *cùm volueris, posse.* Et, *Omnia quæcunque*

voluit Dominus, fecit in cælo & in terra. Quartò tandem potest semper, sine vllo termino, vt testatur Daniel, *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur.* Quicquid ergo potestatis est in alijs, est à Deo; nec possunt soli & per se: egent enim auxilio & consilio aliorum, & tandem habent limitatam potestatem & ad tempus. Dan. 7.

6. Ex hac Dei omnipotentia sequitur, Quòd Deus fecit omnia potenter, quia de nihilo, quia *qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* 2. Sapienter, quia sine vllo vitio, quia *omnia in numero pondere, & mensura.* 3. Clementer, quia sine vllo merito, quod diuina sapientia agnoscit, *Domine misericordia, qui fecisti omnia verbo tuo.* Sequitur 2. quod nouit omnia Deus, vt dicit Hester, *Domine, qui habes omnem scientiam*, & hoc primò æternaliter, quia ex se & non ex alio. Sic sapiens; Domino enim Deo, antequam creauit omnia sunt agnita. 2. Præsentialiter, quia non in successione, sed in seipso. Nam vt ait Apost. *Nulla est creatura inuisibilis illi.* 3. Certitudinaliter, sine vllo errore aut dubio. Nam vt ibidem Apost. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Sequitur 3. Quòd regat omnia, 1. Perfectè, quia sine defectu, *quia non fecit quidquam deesse.* 2. Benignè, quia sine seueritate *miseretur enim omnium quia potest.* Ac tandem iustè, quia sine inordinatione: vnde sapientia dicit, *Cum ergo iustus sis, iustè omnia disponis.* Quā Clemens autem & pro-

Creator omnium. Eccli. 18. Sap. 11. Ibid. 9. Hest. 14. Regit omnia. Eccli. 24. Heb 4. Eccli. 24. Sap. 11. Ibid. 12.

pitius ac misericors sit Deus, etsi satis colligitur ex dictis, tamen id magis docetur ex consideratione causarum, quibus propitius & misericors redditur. Quatuor causas omni operi ponunt Philosophi; efficientem scilicet, finalem, formalem, & materialem. Efficiens causa diuinæ clementiæ est filius Dei, *quem dedit propitiationem pro peccatis nostris*. Qui sustinuit patibulum crucis, & interpellat ad Patrem. Finalis est salus & beatitudo hominis. Nam ipse sanat morbos animæ, remittit debitum gehennæ, & adhibet remedium custodiæ, per gratiam, & Angelicam & prælatorum custodiam. Formalis autem est ex parte hominis aliqua dispositio, at reuera est à gratia quæ generat veram indignationem contra peccatum, humilem conuersionem ad Deum, & meretur iustorum deuotam supplicationem exaudiri. Materialis verò est defectus hominis, qui est lapsus culpæ, reatus pœnæ æternæ siue temporalis, & pronitas ad malum, cum facilitate cadendi, & difficultate resurgendi.

Causæ amoris Dei.

1. Ioan. 4

7. Ex dictis sequitur, Quod Deus *vult omnes homines saluos fieri*. Nam preterquam quod id testetur apertè Apost. patet per multa signa quæ dat Dominus omnibus sine exceptione. Primum est documenta communia. Nam Discipulos misit in mundum vniuersum *prædicare Euangelium omni creaturæ*. 2. Beneficia communia; nam ipse dat omnibus affluenter, &

1. Tim. 2.

Vult Deus omnes saluari.

Marci 16.

facit solem oriri super bonos & malos. 3. Re- *Matth.5.*
media communia, scilicet Sacramenta.
Hinc omnes inuitat ad se: *Venite ad me om-* *Matth.*
nes qui laboratis. 4. Pretium commune *11.*
nam, vt ait Apost. *Proprio filio suo non pe-* *Rom. 8.*
percit, sed pro omnibus dedit illum, quomo-
do non etiam cum illo omnia nobis donauit?
Tandem quintum signum est præmium
commune. Nam *Ipse erit omnia in omni-* *1. Cor. 15.*
bus. Et Abrahamo dixit: *Ego merces tua* *Gen. 15.*
magna nimis.

8. Meritò propter hanc bonitatem suam Gratiarũ
Deus benedicendus & benedictus est. actio.
1. Quia creauit omnia. 2. Quia recreauit *Iudith 13.*
omnia, *& fecit redemptionem plebi suæ.*
3. Quia eripuit à culpa, & *non dedit nos in* *Luc. 1.*
captionem dentibus Dæmonum. 4. Quia ad-
iuuat nos in pugna. Nam ipse *Docet manus* *Psal. 123.*
nostras in prælium. 5. Instruit nos scientia.
Nam *qui dixit de tenebris lumen splendesce-* *Ps. 143.* *1. Cor. 4.*
re, ipse illuxit in cordibus nostris. 6. Robo-
rat nos constantia, quia *dat virtutem &*
fortitudinem. 7. Ditat nos multiplici gra- *Psal. 67.*
tia, quia *diuites facti sumus in illo.* Tandem *1. Cor. 1.*
7. Coronat nos in gloria: *Quia coronat nos* *Ps. 101.*
in misericordia & miserationibus.

9. Licet autem coronet sanctos in gloria Deus
cœlesti, vbi manifestat gloriam suam, ta- propè.
men iuxta Apost. *Non longè est ab vnoquo-* *Act. 17.*
que nostrûm. 1. Per carnis assumptæ na-
turam. 2. Per maiestatis præsentiam; cœ-
lum enim & terram ipse implet. 3. Per pa-
ratam misericordiam, ac tãdem per iudicij

venturi ſententiam. Propter primum gaudendum, propter ſecundum modeſtè viuendum, propter tertium ſecurè ſperandum, propter quartum timendum, & ſemper orandum. Sed ſpecialius adeſt peccantibus ad puniendum, pœnitentibus ad miſerendum, orantibus ad exaudiendum, pugnantibus ad ſuccurrendũ, patientibus ad liberandum, prædicantibus ad docendum, & perſeuerantibus ad præmiandum.

Promiſſiones Dei. 10. Promittit autem Deus colentibus ſe & honorantibus, primò ſufficientiam bonorum temporalium; *Promiſit enim bona* *Num. 10.* *Iſraëli.* Ideò Dauid, *Non vidi iuſtum de-* *Pſal. 36.* *relictum.* 2. Abundantiam bonorum ſpiri- *2. Cor 9.* tualium. Hinc Apoſt. *Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ.* 3. Præmia bonorum æternorum, *Iac. 1.* quia *qui probatus fuerit, accipiet coronam* *Heb. 12.* *vitæ.* Igitur *habentes has promiſſiones, mundemus nos ab omni inquinamento.*

In honoratur Deus. 11. Quare cùm ob ſimilia beneficia Deus à nobis coli & honore affici debeat, cauendum ne à nobis inhonoretur. Inhonoratur autem primò, In legis ſuæ præuaricatione, ſicut inhonorat regem, qui edictum *Rom. 1.* eius nõ obſeruat. Nam, vt rectè Apoſt. *Per præuaricationem legis Deum inhonoras.* Deinde in familiæ ſuæ contemptu, id eſt, ſeruorum Dei, & ſacerdotũ. Vnde Hieremias iudoluit, dicendo, *Facies ſacerdotum non* *Thren. 1.* *erubuerunt.* 3. In ſuæ imaginis, id eſt, animæ defœdatione: multũ inhonoraret Deũ,

qui imaginem crucifixi stercoribus defœdaret, nec minus ille qui animam defœdat propriam stercore peccati. Ideò Salomon, *Non iudicauerunt honorem animarũ sanctarum, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, ad imaginem similitudinis suæ fecit illũ.* 4. In Regiæ dignitatis vsupatione; id quod Rex Herodes fecit, nec repressit voces sibi vt Deo applaudentium, *percussus ab Angelo Dei, consumptus à vermibus expirauit, eò quòd non dedisset honorem Deo.* 5. In iustitiæ negligentia, quando non puniuntur malefactores & peccata. Ideò Baruch, *Non mortui, qui sunt in inferno, dabunt honorem & iustificationem Domino sed anima quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma.* 6. Tandem qui seipsos iustificant dicto vel facto, & Deum blasphemant. Sic ad Iudæos Christus vocantes eum Dæmoniacum: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrẽ meum, & vos inhonorastis me.* Ex quibus sequitur à contrario, quòd Deus honoratur, quãdo legẽ eius obseruamus, imaginẽ decoramus, sacerdotes honoramus, ei obedimus, & iustitiã amamus &, nomen eius honorificamus.

Sap. 2. *Act. 12* *Baruch 2.* *Ioan. 8.* Honoratur.

12. Et quia Deus nullũ peccatũ omittit impunitũ, ideo septem modis punit Deus peccatorẽ. 1. gratiã subtrahendo, quia *abscondit faciẽ suam ab eis.* 2. De peccato in peccatum vt cadãt permittendo; nã *qui in sordib. est, sordescat adhuc.* 3. Conscientiæ remorsu; nã *gladius* vindictæ scil. *intret in corda ipsorũ.*

Punit peccatores. *Deut. 32.* *Apoc. 22.* *Psal. 36.*

Leuit. 26. 4. Temporalia subsidia subtrahendo, *nam consumetur incassum labor vester*, dicit Leuit. 5. Corporaliter flagellãdo, sicut flagellauit Pharaonem & Antiochũ. 6. Vitam auferẽ-
Esaiæ 11. do, *quia spiritu oris sui & labiorum suorum, interficiet impium*. Tandem 7. Æternaliter
Matth. 25 cruciando. *Ibunt hi in supplicium æternum*.

Bonitas Dei erga illos. 13. His non obstantibus Dei punitionibus, tamen bonitas Dei declaratur erga peccatores, per multos effectus. Et quidem pri-
2. Cor. 7. mò eorum animam à Dæmonibus protegendo ac conseruando. *Ipse* enim *est*, vt ait
Esa. 27. Proph. *qui seruat eam*. 2. Suis bonis alen-
Matth. 5. do & nutriendo: Nam *ipse facit solem oriri super iustos & iniustos*. 3. Ad pœnitentiam cor mouendo, & quantum ex se est emolliendo. Ipse enim clamat: *Reuertere, re-*
Cant. 6. *uertere Sunamitis*. 4. Tempus & opportunitatem pœnitendi impertiendo. Nam
Iob 24. ipse *dat tempus, & peccator abutitur eo in superbiam*. 5. Si fortè pœnitere velit ex-
Esai. 30. pectando. Nam ipse *expectat nos, vt misereatur nostri*. 6. Interim à grauiori casu conseruando: Nam impellit Dæmon vt
Ps. 117. cadat, sed *Dominus suscipit eum*. Cor illustrã-
2. Cor. 4. do gratia præueniente: Nam *ipse illucescit in cordibus*. Tandem Octauò pœnitentiâ reuertentem benignè suscipiendo: Nam etsi
Hier. 3. anima *fornicata sit cum multis amatoribus*, tamen inuitat, dicens: *Reuertere ad me*.

Voluntas Dei probanda. 14. Quare voluntas Dei bona omnibus peccatoribus probanda, quia est ad salutem ipsorum. Vult enim primò eorum cõuersionem,

uersionem. *Non* enim *vult mortem*. 2. Mundationem conuersorum: Nam ipse *mundauit leprosum*, peccati leprâ infectum. 3. Sanctificationem: est enim *voluntas Dei sanctificatio nostra*. 4. Illuminationem sanctificatorum: Nam ipse *venit mittere ignem in terram, quem vult accendi*. Sextò inflammatorum per tribulationes probationem: Nam ideò *patientia necessaria est, vt voluntatem eius facientes reportetis repromissionem*. 7. Tribulatorum perfectam vnionem & concordiam; ideò *voluit congregare filios sub alis*. Tandem vnitorum perseuerantiam finalem & perseuerantium retributionem: Nam *sic vult suos manere donec veniat*, vt *vbi ipse est & minister eius sit in gloria*.

Ezech. 18. *Matth. 8.* *1. Thessa. 4.* *Luc. 12.* *Heb. 10.* *Matth. 23.* *Ioan. 21. & 12.*

15. Etsi omnia sint in manu diuinæ prouidentiæ, tamen specialius in manu Dei gubernante sunt omnes res. *In manu eius sunt omnes fines terræ*. In manu verò dirigente sunt præsidentes & superiores. *Nam in manu* eius dicitur *omnis potestas* esse. In manu deinde Dei disponente est lex & leges omnes. Ideò dicitur: *In manu eius ignea lex*. In manu Dei protegente sunt obedientes: *Iustorum enim animæ in manu Dei sunt*. In manu puniente, sunt impœnitentes: Nam in eas incidunt, & *horrendum est incidere in manus Dei viuentis*. In manu saluante sunt patientes; quia eorum salus & liberatio in manu eius sunt. Tandem in manu remunerante sunt perseue-

Prouidẽtia Dei. *Psal. 94.* *Eccli. 10.* *Deut. 33.* *Sap. 3.* *Heb. 10.*

1. Cor. 15. rantes in finem quia *tunc tradet regnum Deo Patri.*

Glorificandum Dei nomen. 16. Dei verò nomen gloriosum dignè est à nobis glorificãdum. 1. Illud ardenter diligendo propter vtilitatem, & quid vtilius salute? ideò *vocatum est nomen eius Iesus.* Luc. 1. 2. Iugiter meditando propter delectabilitatem, & quid delectabilius gloria? ideò Esaiæ 26. *Nomen eius in desiderio animæ, & est gloriosum in secula.* 3. Frequenter recitando propter valorē, & quid validius refugio? ideò *turris fortissima nomen Domini, ad illud recurret iustus & saluabitur.* Dan. 3. Prou. 8. 4. Audacter prædicando propter veritatem, ideò dicitur, Psal. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Quid enim verū magis quàm esse? Ideò nomen Exod. 3. eius, *qui est.* 5. Confidenter inuocãdo propter necessitatē, quid magis necessarium, quam gratia? *Oleum* etenim *effusum nomen* Cant. 1 *eius.* 6. Mirabiliter reuerendo propter ma-Exod. 15. iestatem: & quid maius omnipotente? *Omnipotens nomen eius.* Tandem patienter expectando: spes enim est de futuro bono, & Psal. 51. quid melius summo bono? Ideò *expectan-* Psal. 2. *dum nomen eius, quoniam bonum est.*

Esai. 7. Luc. 1. Matth. 1. Matth. 20 Filij Dei multi. 17 Habet autem plures filios Deus; vnum per naturalem generationē, qui à Patre est æternaliter genitus, à Prophetis prænunciatus, ab Angelo promissus, de Virgine natus, à Iudæis occisus, in regno dominãs cū fratribus, pueris, & fidelibus suis, & hic est Iesus Christus filius Dei vnicus. Alios habet filios, quorū quidã sunt filij per fidē Eph. 5. in Christo Iesu. Alij per charitatē, & hi sūt

filij charissimi, *quia ambulant in dilectione*. *Ibid.*
Alij per obedientiam,& istorum natio dicitur obediens. Alij per pacem, & hi ore *Eccli. 3.*
Christi *filii Dei vocantur*. Alij per patien- *Matth. 5.*
tiam,quia qui extra sustinentiam, non filij,sed *spurij sunt*. Alij tandem per misericordiam in compatiendo, qui reuera *filij*
altissimi.Primi sunt filij lucis.Secundi filij *Heb. 12.* *Luc. 6.*
sponsi. Tertij obedientię. Quarti pacis. Sexti olei. Habet denique Deus alios filios per gratuitam prædestinationẽ, & ij
quidẽ sunt pauci numero, & hi sunt here- *Rom. 8.*
des regni hymnidici eius in choro. Con- *Psal 149.*
iuiuæ in eius mensa.Coniuncti eodẽ tubili *Psal. 127.*
cũ sponso.Insigniti eodẽ nomine cũ Deo. *Psal. 81.*
18. Dei autem promissiones quæ multæ & Promissiones
variæ sunt,& maximorum bonorum,quia Dei.
æternorũ,sollicitè adquirẽdæ sũt; facit.n. adhoc,Primò promittentis potestas. Nam
quæcunque promisit potest facere. 2.Pro- *Rom. 4.*
missorum bonitas : nam *Dominus promisit* *Num. 10.*
bona Israeli.3. Solutionis veritas : *Est enim* *Rom. 3.*
Deus verax.4. Recipientis vtilitas. *Signati*
enim *sumus spiritu promissionis*. Reddunt *Eph. 1.*
autẽ nos dignos promissionibus Dei,primò fides recta,quia *nõ per legem,sed per iu-*
stitiã fidei repromissio. 2. Pœnitentia vera: *Rom. 4.*
nam *promisit pœnitentiã secũdum bonitatem* *2. Paral.*
suam.3.Humilis patientia.Nam Abraham *36.*
lõganimiter ferens,adeptus est repromissionẽ. *Heb. 6.*
4.Pietas& misericordia nam *illa promissio-*
nem habet vitæ,quæ nunc est & futuræ.Tan- *1 Tim. 4.*
dẽ 5. finalis perseuerantia ; perficienda est.

enim *satisficatio nostra* per perseuerantiã.

Seruiendũ Deo. 19. Deo autem bono, omnipotenti, clementi & æterna bona promittenti inseruire debemus effectu voluntatis: *Voluntariè enim ei sacrificandum est:* cum Dauide, id est, libenter. 2. Lætanter, cum iucundo vultu; *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 3. Vigilanter cum sollicitudine: Nam *beati* dicuntur *serui quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* 4. Multipliciter quoad diuersa obsequia: Nam per omnia Deo seruiendum est. 5. Celeriter sine tarditate & cum promptitudine: *Viriliter* enim *agendum ijs qui sperant in Domino.* 6. Potenter cum conamine virtutis. 7. Ardenter cum feruore cordis; ideò Apost. *Spiritu feruentes, Domino seruientes.* Tandem 8. Indesinenter, scilicet cum perseuerantia operis: Ideò Apost. *Bonum facientes non deficiemus.*

Psal. 53. *1. Cor. 9.* *Luc. 12.* *Col. 3.* *Rom. 12.* *Gal. 6.*

Detractio. *Vide* Loqui.

Diabolus. *Vide* Seductio, Tentatio.

Diabolus multos seducit & quomodo, vt princeps potestatis aëris est timendus.

Diabolus seducit. DIabolus seduxit primò Euam, & adhuc eodem modo seducit multos, 1. Debiliorum sexum aggrediendo. Nam primò aggressus est mulierem, quam faciliùs decepit: propter debilitatem rationis.

2. Blanda ſuggerendo ad hoc vt alliciat; ideò propoſuit lignum Paradiſi, *quod erat pulchrum viſu*, & ſuaue guſtu. 3. Sub quæſtione alloquendo, vt à conceſſis procedat & illaqueet. *Cur*, inquit, *præcepit*. 4. Mendacia fingendo, dicens: *Nequaquam moriemini*. Ipſe enim eſt ſpiritus mendax qui de dicendis certitudinem prætendit, & promittit ea, quæ dare non poteſt. 5. Tandem in Angelum lucis ſe transformando, & ſub ſpecie boni ac recti mala ſuadendo. Ideò Ioan. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus vtrum ex Deo ſint*. Timendus eſt autem quia dicitur princeps habitationis aëris, primò propter magnam poteſtatem, quia dicitur princeps. 2. Propter propinquitatem, quia habitat in aëre. 3. Propter inuiſibilitatem, quia eſt ſpiritus qui non videtur. 4. Propter deſiderium continuum nocendi. 5. Propter aſtutiam, quia imparatos & negligentes vt plurimùm adoritur.

Gen. 3. — *1. Ioa. 4.* — Diabolus eſt timendus.

Diſponere.

DIſponit Deus, diſponit & homo & Angelus. Deus enim diſponit vniuerſum, vt competenter illud regat, vt nihil ſit ſuperfluum, nihil diminutum ſit, ſicut artifex opus, & paterfamilias domum. *Attingit enim à fine vſque in finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter*. 2. Diſponit Teſtamentum, vt ſapienter inſtruat, vt

Diſpoſitio Dei. — *Sap. 8.*

Psal. 11. nihil falsum aut erroneum contineat. Nam
Luc. 12. *ipse disponit testamentum electis*. 3. Regnum, vt liberaliter distribuat; *ipse* enim *regnum*
Dispositio hominis. *disposuit sicut Pater eius illi disposuit*. Disponit autem homo sapienter de se & de suis negotiis, quando considerat, mortem esse certam, & tempus mortis incertum;
Esai. 38. quia dicitur, *Dispone domui tuæ, quia morieris & non viues*. Pugnam continuam,
Iob. 7. quia *militia est vita hominis super terram*.
Prou. 24. Et vt dicit Salomon; *Cum dispositione initur bellum*. 3. Quando considerat rationem reddendam. Nam tunc *disponere*
Psal. 111. oportet *sermonem* rationum *in iudicio*, quia tunc *in æternum non commouebitur* siue ad Austrum siue ad aquilonem. Disponit au-
Dispositio Angeli. tem Angelus negotia nostræ salutis ex ratione custodiæ suæ. Nam id significauit Tobias Senior, *Angelus enim bonus*, ait
Tob. 4. vxori, *concomitatur ei, & bene disponit omnia*.

Diues. Diuitiæ. *Vide* Abundantia.

Diuitiarum quatuor sunt genera, quarum prius diuites liberaliter elargiri debent.

Diuitiarũ genera. QVatuor sunt genera diuitiarum; Primæ sunt carnales, de quibus dici-
Psal. 61. tur, *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Secundæ sunt spirituales, de quibus dici-

tur: *Diuitiæ salutis sapientia & scientia.* Esaiæ 33.
Tertiæ sunt cœlestes, de quibus Salomon: *Mecum sunt diuitiæ & gloria.* Et, *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Prou. 8. Psal. 111. Quartæ sunt supercœlestes; De quibus Apost. *O altitudo*, id est, sublimitas ac profunditas, *diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Priores diuitias debet diues facultatibus valens abundanter, Eleëmosyna. quo ad facultates, distribuere in pauperes: sic Tobias docuit filium: *si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Tob. 4. 2. Frequenter: nam *qui iustus est, tribuet, & non cessabit.* Prou. 21. 3. Libenter, quo ad effectum: hoc præcipit Timotheo Apost. *Diuitibus præcipe abundanter tribuere.* 1. Tim 6. Tandem 4. simpliciter quo ad finem & intentionem. Ideò Apost. *Qui tribuit in simplicitate.* Rom. 12.

Doctrina. *Vide* Scientia. Apostoli.

1. *Doctrina Ecclesiæ ex verbo Dei vocatur doctrina pietatis.*
2. *Huius doctrinæ quis finis.*
3. *Doctrina Ecclesiæ, quæ & Apostolica & sana dicitur, fuit confirmata multipliciter: proinde falsa, hæretica, & erronea, vituperanda.*

1. DOctrina Ecclesiæ & Sanctorum ex verbo Dei, aut scripto aut tradito, est doctrina pietatis. Primò quia fōtē Doctrina sacra.

omnis pietatis Spiritum sanctum, habet
2. Pet. 1. authorem, quia *Spiritu sancto inspirati sunt Sancti Dei homines.* Secundò quia pios & deuotos efficit & requirit auditores. Hinc dicitur: *Piè agentibus dedit sapientiam.* 3. Quia pios & deuotos habet & exigit Doctores: *Peccatori* enim *dicit Deus; quare tu enarras iustitias meas?* 4. Quia inter cætera maximè prædicat pietatem. Nec dissimulat cum vitijs, nec defendit, nec docet. Nam *Apparuit gratia Dei saluatoris erudiens nos, vt abnegantes impietatem*, &c.

Eccli. 43.

Tit. 2.

Finis illius. Sap. 1. 2. Huius doctrinæ finis in quem docetur, Est adquisitio sapientiæ: *Audiens enim sapiens sapientior erit.* Deinde communicatio adquisitæ sapientiæ, vnde dicitur: *Docti in populo docebunt plurimos.* 3. Vtilitas. Nam fit ad conuersionem peccatorum, quia docentur *iniqui vias Domini.* Deinde ad confirmationem iustorum. 3. Ad depressionem & humiliationem rebellium voluntatum. Tandem 4. Ad glorificationem & beatitudinem fidelium.

Dan. 11.

Apostolica dicitur. 3. Et hæc doctrina quæ & Apostolica dicitur, quia ab Apostolis & Apostolicis viris est prædicata, & ab Apost. *Sana* dicitur; tum quia sanitatem spiritualem indicat, & efficit disponendo; tum quia sanitatem conseruat vt cibus. Confirmata est & fuit Authoritatibus & testimonijs Scripturæ, vt patet in omnibus Actis & Epistolis Apostolorum. 2. Vitæ Apostolicæ exemplis

2. Tim. 4.

exemplis; non enim Apostolus *audebat aliquid loqui eorum, quæ per eum non fecisset Christus.* 5. Tolerantia mortis. Vnde Dominus per Prophetam, *Verè vos testes mei.* Testis Græcè Martyr dicitur. Quartò miraculis; Apostoli enim *profecti vbique prædicauerunt Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* 5. Donis; nam spiritus Patri vestri loquitur in vobis, quo omnes repleti fuêre. 6. Dæmonum coactis clamoribus: *Iesum noui,* inquit Dæmon, *& Paulum*, &c. Tandem Septimò, subita conuersione persecutorũ; vt patet in Saüle. Hinc collige quàm sit perniciosa falsa doctrina errorum, quam hæretici & seductores proponũt. Est enim sibi contraria, quia varia; veritati dissona, quia peregrina, id est, nunquam antea audita; & simplicibus nociua, quia abducit ab Ecclesia, & seducit à fide & salute æterna.

Rom. 15. *Marc.* 16. *Act.* 19. *Act.* 9. Hæresis.

Ebrietas. *Vide* Vinum.

Quadruplex Ebrietas.

QVadruplex est Ebrietas. Prima miserabilis, quæ iuxta Prophetam aufert cor. *Fornicatio,* inquit, *vestra & ebrietas aufert cor.* Secunda damnabilis, quia crudelis, vt dicitur Apoc. *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum.* 3. Est laudabilis, quia est gratiæ; vnde dicitur, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini.*

Ebrietas multiplex. *Osea* 4. *Apoc.* 17. *Cant.* 5.

Quarta desiderabilis, quia est gloriæ. *Inebriabuntur* enim *Sancti in* Patria *ab vbertate domus Dei.*
Psal. 35. 5. Tandem est vituperabilis & noxia, quia est gulæ & vini; quibus
Esaia 5. dicitur: *Væ qui potentes estis ad bibendum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

Ecclesia. *Vide* Templum.

1. *Ecclesia est locus fidelium.*
2. *Ecclesia est vna.*
3. *Ecclesia dicitur domus magna.*
4. *Ecclesia habet distincta officia.*
5. *Est subiecta Christo.*
6. *Est quadam religio.*
7. *Extra Ecclesiam qui sint.*
8. *Ecclesiam significabat tabernaculum synagoga.*
9. *Ecclesia candelabrum, quid significet & quid septem eius lucerna.*

Ecclesia quid. Ecclesia est locus fidelium venerandus, & retinendus. Tanquã locus in quo cõseruãtur fideles in fide, in gratia, & virtutibus, quibus salus æterna per bona opera certa fit & obtinetur. Est enim locus in quo primò adoptantur paruuli, qui per baptismum de filijs peccati & irę Dei, fiunt filij Dei, vt testatur Apost. Nam
Heb. 3. Christus dicit Patri, *Ecce ego & filij quos dedit mihi Deus.* 2. Recipiuntur tanquam ad Asylum peccatores homicidæ anima-

rum suarum, per Sacramentum pœnitentiæ. Sicut olim à Domino constitutus fuit locus ad quem homicida fugere debebat. 3. Est locus benedictionis & adorationis in gratiarum actionem. Ideò Propheta, *Introibo in domum tuam in holocaustis*, &c. 4. Est locus sacrificij perfecti, quia ibi Sacerdotes offerunt & immolant hostiam viuam perfectam, quæ *vnica oblatione consummauit in æternum sanctificatos:* 5. est locus refectionis & recreationis, quia ibi manducatur caro Christi, & Sanguis eius ora cruentat animam reficiendo. Tandem 6. Est locus in quo diuinum numen præsens est, tanquam in propria domo. Vnde benè figuraliter Iacob, *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* 2. Est autem, quæ sponsa Christi est, vna, dicente Christo, *vna est columba mea, vna est electa mea:* quia est tantùm vnum verum Christi corpus, quod ex diuersis membris componitur: *Multi* enim *vnum corpus sumus in Christo.* Habet 2. vnum tantùm caput quo regitur: *Ipsum* enim *dedit Deus caput super omnem Ecclesiam.* Habet 3. Vnum spiritum quo viuificatur, quia *omnia* in ea *operatur vnus & idem spiritus.* Habet 4. Tantùm vnum Euangelium quo instruitur, vnde *Si quis Angelus de Cœlo aliud Euangelizauerit, Anathema sit.* Quintò habet vnum Sacramentum quo significatur quod est Baptismus. *Nisi.* n. *quis renatus fuerit ex aqua &*

Exod. 21.
Heb. 10.
Gen. 28.
Ecclesia vna.
Cant. 5.
1. Cor. 12.
Eph. 1.
1. Cor. 12.
Gal. 1.
Ioan. 3.

Spiritu sancto, &c. Sextò vnus cibus quo
1. Cor. 10. reficiuntur. *Omnes qui de vno pane & calice participamus*. Septimò, vnum pretium
1. Petr. 1. quo redempta est, *non corruptibilibus auro & argento, sed sanguine agni immaculati*. Tandem Octauò vna merces qua remuneratur: nam ipse Deus merces eius est. Sicut ergò vnus Deus, ita vna fides, vnum baptisma, & vna Ecclesia.

Ecclesia domus. 3. Non immeritò dicitur Ecclesia domus magna, primò propter multorum capaci-
Luc. 14. tatem, omnes vocantur vt impleatur domus Dei, debiles, claudi, pauperes, &c. 2. Propter dignitatem inhabitantium: nam
1. Petr. 2. in ea habitat genus electũ regale sacerdotium, manans à rege & sacerdote Christo. 3. Propter possessoris magnitudinem: *Ma-*
Psal. 47. *gnus* enim *Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri*. 4. Propter diffusionem
Psal. 71. spatij, quia *dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terra-*
Baruch 3. *rum*. Ideò Proph. *Quàm magna est domus Dei, ingens locus possessionis eius*.

Distincta Ecclesiæ officia. 4. In hac tam magna domo, vt omnia ordine fiant, distincta sunt officia. Primò propter mystici corporis Christi integri-
1. Cor. 12. tatem. *Si enim totum corpus oculus esset, vbi auditus*? 2. Propter Ecclesiæ pulchritudinem quæ ex varietate resultat; nam sic
Psal. 44. visa est à Propheta *circundata varietate* sponsa à dextris Christi. 3. Propter singularium membrorum vtilitatem; *non* enim
1. Cor. 12. *potest dicere caput pedibus, non estis mihi*

necessarij. Tandem 4. Propter officiorum expeditionem: non enim vnus potest portare solus onera, vt dicebat Moyses, *Non possum solus onera portare.* Deut. 1.

5. Manet autem Ecclesia semper subiecta Christo sponso suo. Primò sicut luna soli à quo illuminatur. Christus enim *sol est iustitia illuminans eam per omnia.* 2. Vt terra cœlo, à quo fœcundatur. *Omne* enim *datum optimum descendit de cœlo.* 3. Vt caro spiritui, à quo viuificatur; *Spiritus* enim *est qui viuificat.* Tandem 4. Vt corpus capiti; nam ipse est caput corporis Ecclesiæ. Ecclesia Christo subiecta. Eccli. 4. Iacob 1. Ioan. 6. Eph. 2.

6. Ecclesia verò in suis statutis & legibus est ad instar religionis. Nam *multitudinis credentium erat cor & anima vna in Domino.* Eius doctrina est fides, Regula verò est charitas, in qua sunt quatuor capitula iuxta quatuor quæ à nobis sunt diligenda; quæ supra nos, id est, Deus; quæ intra nos, id est, anima; quod iuxta nos, id est, proximus; & quod infra nos, id est, proprium corpus. Ecclesiæ status. Act. 4. Charitatis ordo.

7. Extra hanc Ecclesiam qui est, saluus esse non potest; & sunt primò Pagani, de quibus tanquam qui foris sunt Ecclesia non iudicat. 2. Iudæi, nam mater Synagoga & fratres Christi secundùm carnem, adhuc foris stant. 3. Hæretici. Nam qui Christum vident (in lege & Euangelio) *foras, fugiunt ab eo.* Quartò excommunicati, qui traduntur Sathanæ vt spiritus sal- Qui sint extra Ecclesiam. 1. Cor. 15. Matth. 12. Psal. 30.

1. Cor. 5. uus fiat. Tandem 6. Omnes damnati, quia tunc *mali foras* extra rete Ecclesiæ *mittentur*.
Math. 13.

Ecclesiæ figura tabernaculum.

8. Ecclesia designatur per prius tabernaculum à Moyse erectum, in quo erat candelabrum, mensa, panes propositionis. Stylus candelabri significabat Christum Ecclesiam illuminantem. Tria brachia à siniastris, significabant trinum Ordinem Sanctorum antiquorum, scilicet, continentium, coniugatorum, ac prælatorum. Tria brachia à dextris, Sanctorum noui Testamenti trinum ordinem. Mensa significabat sacræ scripturæ refectionem. Panes duodecim, Apostolorum officium & prædicationem. Renouatio panum, Apostolici officij successionem. Thus interpositum, orationis pro populo sibi commisso deuotionem.

Ecclesiæ candelabrum.

9. Candelabrum autem Ecclesiæ, quæ denotabat candelabrum tabernaculi, & habebat septem lucernas: significat septem ordines Sanctorum, inter quos visus est
Apoc. 10. Christus ambulare. Primus est Ordo Apo-
Matth. 5. stolorum, qui vocatur lux mundi. 2. Ordo Euangelistarum, qui lucem Euangelij non sub modio, sed in monte Ecclesiæ posuerunt. Tertius Ordo Prophetarum, de quibus dicitur: *Habemus firmiorem Propheticum sermonen cui attendentes tanquam*
2. Pet. 1. *lucernæ benefacitis*. 4. Est Ordo doctorum, qui lucent sicut luminaria in mundo, ver-

bum vitæ continentes. 5. Est Martyrum r, *Phil. 1.*
de quibus habetur, quod cùm hydrias co-
porum confregissent persequutores; te- *Iudic. 7.*
nuerunt lampades sinistris manibus, fidem
scilicet in anima. 6. Est Ordo Confesso-
rum, Quorum lumbi præcincti & lucer-
næ bonæ conuersationis in manibus, id *Luc. 12.*
est, operibus. Tandem Septimus est Or-
do Virginum, *qui acceptis lampadibus sum-* *Mat. 25.*
pserunt oleum in vasis suis.

Ædificatio, Ædificare.

*Ædificatio spiritualis habet omnia quæ ma-
terialis.*

IN Ædificio spirituali Fundamentum *Ædificiũ*
est fides Apostolorum, in articulis fidei *spirituale*
expressa, quæ virere semper debet & ma-
ximè in aduersitate. Tectum est, charitas
diligendorum, *quæ vniuersa delicta operit* *Prou. 10.*
Paries Aquilonaris, est timor supplicio-
rum, & hic est paries ad quem conuersus
Ezechias fleuit, quia dictum est, *Ab aqui-* *Esai. 37.*
lone pandetur omne malum. Paries Austra- *Hier. 1.*
lis, spes præmiorum *nam Deus ab Au-*
stro veniet. Paries Orientalis est conside- *Abac. 3.*
ratio humanę natiuitatis siue ortus. Tunc
n. videmus nos nudos egressos de vtero *Iob 1.*
matris, *Et graue iugum esse positũ super filios* *Eccli. 40.*
Adã, &c. Paries occidentalis est memoria
mortis, tunc est vita nostra tanquã nitens

Psal. 61. *Parieti inclinato & maceria depulsa.* Quare
Eccli. 7. in omnibus *memoranda nouissima.*

Eleemosyna. *Vide* Misericordia.

1 *Eleemosyna dicitur gratia propter communem effectum cum gratia.*
2 *Comparatur semini, & Eleemosynarum largitio seminationi.*
3 *Dicitur benedictio, & quare.*
4 *Eleemosyna qui effectus in praesenti vita.*

Eleemosynæ cũparatio cũ gratia.

1. NOtandum quòd Eleemosyna appellatur gratia ab Apostolo propter multos effectus gratiæ & Eleemosynæ communes. Etenim gratia primò iustificat à peccatis: Sic Eleemosyna. *Ipsa* (2.Cor. 8. Rom. 3. Tob. 12.) enim est quæ *purgat peccata.* 2. Gratia sufficit contra ardorem tentationis. Patet in Apost. cui dictum est, *Sufficit tibi gratia* (2.Cor. 12.) *mea.* Sic Eleemosyna; *ignem* enim *ardentem extinguit aqua & Eleemosyna resistit* (Eccli. 3.) *peccatis.* 3. Gratia à morte æterna défendit: sic Eleemosyna. Nam *ipsa ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam* (Tob. 4.) *ire in tenebras.* 4. Vitam æternam acquirit; *gratia enim Dei vita aeterna.* Sic Eleemosyna (Tob. 12.) facit inuenire vitam æternam. 5. Gratia hominem Deo acceptabilem reddit, quia *fiducia erit coram summo Deo* (Tob. 4.)

Eleemosyna. 6. Quia hominibus gratum facit:sic Eleemosyna; nam illa gratiam hominis conseruabit. 7. Tandem gratia augmentum virtutum tribuit:Sic Eleemosyna, quia Eleemosyna Patris non erit in obliuione. *Eccli. 29.* *Eccli. 3.*

2. Comparatur præterea Eleemosyna semini,& largitio seminationi. Primò propter largã plenæ manus effusionẽ: *si enim multum fuerit tibi, multum & abundanter tribue.* 2. Propter discretam distributionem. Nam pauperibus & egenis datur. 3. Propter secretam occultationem: nam concludenda est in sinu pauperis, sicut semen in terra. 4. Propter copiosam irrigationem: nam compatiendum est semper pauperi. 5. Propter rei ad tempus amissionem: nam, iuxta sapientem, *perdenda est pecunia propter fratrem.* Sextò propter fructus expectationem: nam post tempora fructus inuenitur. Tandem 7. Propter fructus multiplicationem: vnum enim granum dat centum:Sic Christus, *Centuplum accipietis.* Com semine. *Tob. 4.* *Eccli. 29.* *Iob. 30.* *Eccli 29.* *Ibid. 11.* *Matth. 19*

3. Dicitur proinde meritò Eleemosyna benedictio, quia primò benedictionem accipit qui dat eleemosynam: nam *benedictio perituri venit super eum.* 2. Benedictio populi videntis: nam *splendidum in panibus dandis benedicent labia multorum.* 3. Benedictio iudicis retribuẽtis: nam ille dicet *Venite Benedicti Patris mei.* Propter eleemosynam & opera misericordiæ. Quarto Dicitur benedictio. *Iob 29.* *Eccli. 31.* *Matth. 25*

tandem veniet benedictio super dantem & eius semen, *semen enim eius in benedi-*
Psal. 36. *ctione erit.*

Effectus Eleemosynæ. 4. Est autem effectus Eleemosynæ in hac vita multiplex. Primò etenim temporalia bona multiplicat, quapropter benè Salo-
Prov. 3. mon, *Honora Deum de tua substantia*, &c. *& implebuntur horrea tua saturitatate, & vino torcularia redundabunt.* Deinde dantis vitam prolongat. Nam *pietas promissio-*
1.Tim.4. *nem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* 3. Sanctorum necessitates sustentat. Vnde Apost. ad Philemonem, *Viscera Sanctorum quieuerunt propter te.* 4. Quia bonorum suffragia impetrat, quia *ipsa* Eleemosyna,
Eccli. 29. *conclusa in sinu pauperis orat pro dante.*
Ibid. 5. Quia inimicos expugnat, quia *super scutum & lanceam aduersus inimicum pugnat.*
Ibid. 6. Quia bona spiritualia conseruat. *Elee-*
Luc. 16. *mosyna viri quasi sacculus cum illo.* 7. Amicos multiplicat, ideo *faciendi de mammona iniquitatis amici.*

Æmulatio.

Multiplex est Æmulatio.

Æmulatio multiplex. PRima est indignationis, de qua Propheta, *Ibi erat idolum Zeli ad prouocandam æmulationem.* 2. Est liuoris, de
Ezech. 8. qua Apost. *Non in contentione & æmula-*
Rom. 13. *tione.* 3. Est desiderij, de qua idem, *Æmu-*
1. Cor. 12. *lamini Charismata meliora.* Quarta est
Cant. 8. charitatis, De qua sponsa Cant. *Fortis est*

vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio. Quinta est peruersi amoris, de qua Apost. *Æmulantur vos, sed non benè.* Sexta est imitationis, de qua Psalm. *Noli æmulari in malignantibus.* Gal. 4. Psal. 36.

Euangelium. *Vide* Testamentum.

Euangelium Christi commendatur ex multis.

COmmendatur Euangelium Christi super omnes alias leges & Doctrinas, siue illæ humanæ sint, siue diuinæ. Et quidem primò, à longitudine durationis: nam D. Ioannes *Vidit Angelum volantem habentem Euangelium æternum.* Non enim succedit Euangelio Christi quidquã sicut legi successit & superadditum fuit Euangelium. 2. A rectitudine veritatis. Ideo Apost. reprehendit quosdam. *Qui non rectè ambulabant ad veritatem Euangelij*, non enim potest ei admisceri vlla falsitas. 3. A celsitudine originis. Nam Paulus dicit Euangelium Dei, *antea à Deo promissum per Prophetas de filio suo.* Non enim est ab homine, sed à Deo. 4. A longitudine debitæ promulgationis. Nam misit Dominus Apostolos in vniuersum mundum, *Prædicare Euangelium omni creaturæ.* Non autem sic præcepit de legibus humanis.

Euangelij excellentia. Apoc. 14. 2. Cor. 2. Rom. 1. Marc. 16.

5. A præponderatione valoris; nam qui relinquunt omnia & sequuntur Christum
Luca. 18. obedientes Euangelio, *centuplum accipient hic, & vitam æternam habebunt.* 6. A magnitudine materię; nam Euangelium con-
Eph. 3. tinet *inuestigabiles diuitias Christi, & Sacramenta abscondita à seculis in Deo.* Tandem à virtute efficaciæ; est enim *virtus*
Rom. 1. *Dei in salutem omni credenti.*

Eucharistia. *Vide* Communio.

1. *Eucharistia est cibus suauis, sanus, &c.*
2. *Quæ obseruanda in communione Eucharistia.*
3. *Tria antecedere debent dignam communionem, & tria sequi & concomitari.*

Euchari-stiacibus. 1. CIbus Euchatisticus est cibus noster, & est suauis & sanus. Noster quidem cibus dicitur, quia est omnibus
Psal. 23. fidelibus præparatus; iuxta illud, *Parasti in conspectu meo mensam.* Sanus verò est, quia dicitur Pascha, id est, transitus, quia transire facit de bono in melius, & de meliori in optimum; paratus autem est, quia mensa fuit posita dilectionis in cœna, & agnus occisus die Veneris, & ministratur in die festo. Sapidus tandem est, eò quòd omne delectamentum in se habet charismatum spiritualium.

Obser- 2. In esu phase, id est, agni paschalis

multa obseruabant Iudæi, quæ nos spiritualiter obseruare debemus. Necesse est, primò Carnes igne assari, per deuotionis flammam. 2. Vt panes azymos edamus per puritatem conscientiæ. 3. Vt lactucas agrestes adhibeamus per peccatorum amaritudinem & pœnitentiam in luctu vnigeniti & planctu amaro. 4. Vt renes accingamus, per carnis continentiam. 5. Vt calceamenta habeamus in pedibus, per sanctorum imitationem. Sextò vt baculos in manibus teneamus, per custodiam & cautelam contra canes infernales. Septimò vt festinanter comedamus, per bonorum operum strenuitatem. Octauò vt nihil incomestum relinquatur, per fidem integram. Tandem Nonò, vt postes nostros sanguine tingamus, per iugem passionis Christi memoriam. uanda in Communione. *Exod. 12.*

3. Ex his facilè colligitur quædam esse quæ communionem præcedere, comitari, & subsequi debent. Primum antecedentium est humilitas: *Epulaberis*, inquit Moyses, *coram Domino Deo tuo, & post recordaberis quoniam seruus fueris in Ægypto.* Et hoc denotatur in lactucis agrestibus. Secundum est Ardor deuotionis intimæ. Et hoc notatur in assatura carnium. 3. Est puritas conscientiæ bonæ. Et hoc notatur in azymis panibus. Primum verò concomitantium est fides integra. Nisi enim incomestum, id est, creditum & ruminatũ pijs considerationibus, omittendum Horum significatio. *Deut. 16*

est. 2. Est memoria Passionis. Debent enim huiusmodi epulæ esse recordationum Domini Dei nostri; & hoc notatur in postibus sanguine tinctis. 3. Est Hilaritas spiritualis lætitiæ. Iusti enim epulãtur & exultant in conspectu Dei; & hoc notatur in festinatione comestionis. Primum tandem subsequentium est, gratiarum actio. Hoc notatur in annua celebratione, quia fiebat in gratiarum actionem, quòd Deus percussis primogenitis Ægypti pepercisset Israëli. 2. Est bonorum operum robur & continuatio. Quod notatur in baculis in manibus. 3. Est ad patriam ambulatio. Quod notatur in Calceatis pedibus.

Psal. 67.

Excæcare.

1. *Peccati effectus est, spiritualiter hominem excæcare.*
2. *Intellectus, qui est oculus animæ ex quatuor caligat.*

Excæcatio spiritualis. 1. PEccatum in genere, excæcare homines affirmat Propheta, *Ambulauerunt vt cæci*, inquit, *quia Domino peccauerunt*. De superbia patet: Quia dicit Propheta. *Speculatores*, scilicet, qui in alto sunt positi, *cæci omnes*; nam respiciunt ad splendorem excellentiæ suæ, quæ excæcat; nam vt dicit Philosophus 2. de ani-

Sophon. 2.

Esai. 56.

ma, *Excellentia sensatorum corrumpunt sensus.* Sic cæcos & duces cæcorum Dominus Pharisæos vocauit. Quòd inuidia excæcat, patet, quia est filia *Malitiæ, quæ impios excæcat.* Quòd ira excæcat, patet, quia turbat oculum mentis. Nam vbi *supercecidit ignis, non viderunt solem*, id est, veritatem propter nubem Passionis. Res enim in turbulenta aqua videri non possunt. Quòd acedia, patet: nam vt rectè D. Petrus: *Cui præsto non est sedulitas bonorum operum, cæcus est, & manu tentans.* Et ideo figuraliter, *cæcus sedebat iuxta viam mendicans.* Quòd auaritia excæcat patet ex eo, quòd dicit Moyses: *Munera excæcant oculos* Iudicum: sic figuraliter Tobias excæcatus est. Et *Rex Sedechias excæcatus est in Rablata*, quod dicitur multa. Quòd autem Gula excæcat, dicit apertè Salomon: *Cui væ, & cui suffossio oculorum? Nonne his, qui morantur in vino: & student calicibus epotandis?* Hinc Ebriosi dicunt apud Prophetam; *Palpauimus quasi cæci parietem.* Quòd tandem luxuria excæcet oculos rationis, vel ex eo patet: quòd in illo actu tota ratio absorbeatur. Deinde luxuriosi Sodomitæ *Percussi sunt cæcitate.* Et Sapient. dicitur: *Percussi sunt cæcitate sicut illi in foribus iusti.*

Mat. 15. Sap. 2. Psal. 57. 2. Pet. 1. Matth. 8. Deut. 16. 4. Reg. 25 Prou. 23. Esai. 59. Gen. 19. Sap. 19.

2. Intellectus autem hominis obscuratur, Primò per infidelitatem, quia illa vocatur tenebra ab Apost. *Eratis autem aliquando*

Obscuratio intellectus.

Ephes. 5. *tenebræ, nunc autem lux in Domino*. 2. Per ignorantiam; nam idem ait: *Alienati à vita Dei per ignorantiam*. 3. Per mundanam
Ephes. 4. Rom. 1. sapientiam; nam idem ait, *Obscuratum est insipiens cor eorum*. 4. Per carnalem concupiscentiam; nam fumus concupiscentiæ obscurat claritatem intellectus. 5. Per pas-
l. 1. metr. 7. siones; nam *nubila mens est vbi hæ regnant*, inquit Boëtius. 6. Per voluptates. *Eleuans*
Luc. 6. enim *diues oculos suos in tormentis vidit Lazarum*, quem anteà non viderat in voluptatibus viuens. 7. Per prosperitatem.
Psal. 48. Hinc Dauid Psal. *Homo cùm in honore esset, non intellexit*. Tandem Octauò, Dei punitione. Sic enim Moyses: *Percutiet te Deus*
Deut. 28. *cæcitate & amentia*.

Excusare, Accusare, Recusare.

Quidam accusant, excusant & recusant, quæ benè & malè fieri possunt.

Accusatio bona. Benè accusant, qui sicut *Ioseph fratres suos accusant apud Patrem, crimine pes-*
Gen. 37. *simo*. Accusatio hæc excludit palpationem vitiorum, quæ etiam fratres complectitur ne habeatur acceptio personarum, contra id quod Dominus præcepit,
Exod. 12. *Non misereberis pauperis in iudicio*. Malè
Mala. accusant, qui sic, vt Iudæi Paulum: Sed
Apoc. 12. de talibus dicitur, *Proiectus est accusator fratrum*

fratrum nostrorum. Talis est sustinenda in patientia, cum Seruatore nostro, qui cùm accusaretur coram Herode à principibus sacerdotum, *nihil respondit.* Excusant boni & benè, qui ex fragilitate, & post longam tentationem, & ex ignorantia peccant. Excusant autem mali & malè, peccantes ex consuetudine & malitia, & hypocrisi, & alijs vitijs, & qui ita se occupant circa terrena, quòd æternis vacare non queant. Recusant tandem boni peccare, & committere malum culpæ, sicut *Ioseph stuprum.* Quare rogabat Dauid, *ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Recusant tandem mali & malè, bonum gratiæ & verbum Dei audire; de quibus Apost. *Videte ne recusetis loquentem,* sed heu! multi recusant gratiam Christi.

Luc. 23. | Excusatio bona. | Mala. | Recusatio bona. | *Gen. 29.* | *Ps. 140.* | Mala. | *Heb. 12.*

Fermentum.

Multiplex intelligitur fermentum in sacra scriptura.

Fermentum corrumpens est multiplex. Primò originalis culpæ: nam sicut fermentum totam massam, sic originale peccatum totum genus humanum: vnde dicitur, *Memento quoniam omnes in corruptione sumus.* 2. Doctrina praua; ideò Christus dixit cauendum *à fermento,* id est, doctrina *Pharisæorum.* Et Apost.

Corruptio vnde. | *Eccli. 8.* | *Matth. 16*

1.Cor.7. *Neminem læsimus, neminem corrupimus.*
3. Legalis obseruantiæ. Hinc idem *modi-*
Gal. 5. *cum fermenti* obseruantiæ legalis *totam*
massam legis Euangelicæ *corrumpit*. Et,
1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum*, &c. 4. Hypo-
Soph. 3. crisis, vt patet per Prophetam, *Surgentes*
diluculo corruperunt cogitationes suas. 5. In-
tentio praua, ideò præceperat Dominus,
Exod, 23. *Non immolabis super fermento sanguinem*
vita tua.

Fides. Credere.

1 *Fides multipliciter accipitur in Scriptura.*
2 *Fides mala diuersa.*
3 *Fides comparatur luci.*
4 *Fidei attribuuntur octo.*
5 *Fides qua bona præstet.*
6 *Ad credendum multa mouent.*
7 *Circa fidem quidam diuersimodè se habent.*
8 *Transitus ex fide in fidem bonus fit septem modis.*

Fidei acceptiones 1. Fides multipliciter accipitur in sacra Scriptura. Primò, pro Voti promissione, aut actu promissionis: vnde Apostolus de viduis luxuriosis, *Primam*, inquit,
1. Tim. 5. *fidem irritam fecerunt*. 2. Pro obseruantia
2 Reg. 15. fidelitatis, & fideli adhæsione: vnde Dauid dixit ad Ethai, *Ostendisti gratiam & fidem.* Et Dominus per Prophetam, *perij*
Ier. 7.

fides, & ablata est ab ore ipsorum. 3. Pro veritate. *Omnia opera eius ex fide*, inquit Psalmista. 4. Pro conscientiæ credulitate. *Psal. 32.* Vnde Apostolus, *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* *Rom. 14.* 5. Pro habitu fidei. Vnde Apostolus, *Si habuero omnem fidem.* *1. Cor. 13.* 6. Pro virtute Theologica, quæ est argumentum non apparentium, & sperandarum rerum substantia. *Heb. 11.* 7. Pro virtute fidei per dilectionem operantis: Hinc Propheta, *Iustus ex fide viuit.* *Abac. 2.* 8. Pro Baptismo siue fidei Sacramento. 9. Pro feruore fidei. *O Mulier*, inquit Saluator, *magna est fides tua.* *Matth. 15.* 10. Tandem pro aperta visione: *Iustitia enim Dei reuelatur ex fide in fidem*, id est, apertam visionem. *Rom. 1.*

2. Inuenitur etiam fides non recta aut bona, quæ diuersas habet conditiones. *Fides mala.* Quædam est ficta, & est hæreticorum. Vnde monet fideles Apost. *De corde puro & fide non ficta.* *1. Tim. 1.* Quædam est mortua, & est peccatorum siue existentium in peccatis. *Fides* enim *siue operibus mortua est.* *Iacob 2.* Quædam est infirma, & est tepidorum. Vnde Apost. *Infirmum in fide suscipite.* *Rom. 14.* Quædam tandem est modica, & est timidorum; ideò Christus, *Modicæ fidei, quare dubitasti?* *Matth. 14.*

3. Comparatur fides lumini vel luci. *Fides est lumen.* Primò, quia lux de cœlo manat: sic fides, nam à solo Deo datur. *Est* enim *donum Dei.* *Ephes. 2.* 2. Quia tenebras fugat,

1.Cor.12. ad hoc enim lumen ambulabat Iob in te-
Iob 30. nebris; sic fides tenebras fugat erroris.
Act. 15. 3. Aërem purificat: sic fides mentem, nam
fide purificauit Deus mentes fidelium. 4.
Quia terræ nascentia viuificat: sic fides;
Abac. 2. nam *iustus ex fide viuit*. 5. Visum delectat.
Eccli. 11. *Dulce* enim *& delectabile est oculis videre*
solem: sic fides visum spiritualem clarifi-
1.Pet.1. cat. Hinc D. Petrus: *Credentes exultabitis*
lætitia inenarrabili. 6. Non apparentia ma-
nifestat: sic fides; est enim sperandarum
substantia rerum, argumentum non appa-
rentium. 7. Calorem generat: sic fides
charitatem. Tandem Octauò ad viden-
dum necessaria est: sic fides ad intelligen-
Heb. 11. dum & videndum Deum: *Accedentem ad*
Esai. 7. *Deum opportet credere*. Et, *nisi credideritis*
non intelligetis.

Attributa fidei. 4. Octo egregia attribuuntur fidei. Pri-
mò, Remissio peccatorum, vt benè Apost,
Rom. 5. *Iustificati ex fide*, &c. 2. Fundamentum esse
Heb. 11. omnium virtutum & gratiæ. *Sine fide im-*
possibile est placere Deo. Est etiam substan-
tia rerum sperandarum. 3. Productio bo-
Iacob. 2. norum operum. Hinc Iacobus, *Ostendam*
tibi ex operibus fidem meam: tanquam cau-
sam ex effectis. 4. Sustinentia tentatio-
Ephes. 6. num & tribulationum. Est enim *scutum*
inexpugnabile. 5. Intelligentia scripturæ,
Esai. 7. quam nisi quis prius crediderit, *non intelli-*
get. 6. Exauditio petitionum, maximè si
Iacob. 2. orans *postulet in fide nihil hæsitans*. 7. Mira-
culorum operatio. Si enim possumus cre-

dere, *omnia possibilia sunt credenti.* Tandem *Mar. 9.*
Octauò, salus animarum. Sic Christus
Magdalenæ, *Fides tua te saluam fecit.* *Luc. 7.*
5. Fides autem multa bona generaliter *Fidei*
confert. Nam primò à peccatis iustificat; *bona.*
nullus enim sine fide Deo placuit. 2. Fides
vitam præstat, quia qui sine fide est, velut
corpus est sine vita. 3. Christo habitaculum
parat, qui per fidem dicitur *habitare
in cordibus nostris.* 4. A Diaboli laqueis & *Eph. 3.*
tentationibus cõseruat: Est enim scutum,
vt suprà dictum est. 5. De mundo triumphat.
Nam *hac est victoria qua vincit mundum
fides nostra.* 6. Miracula perpetrat. *1. Ioan. 5.*
Nam fides vnius grani sinapis, *montes* *Matth. 17*
transferre potest. 8. Orationes impetrat, &
vitam confert, vt suprà. In particulari autem
fides intellectum hominis illustrat.
Nam Christus *illuxit in cordibus nostris* per *2. Cor. 4.*
fidem. 2. Voluntatem rectificat. *Nam corde* *Rom. 10.*
creditur ad iustitiam. 3. Spiritum sanctum
donat, miracula perpetrat, & benedictionem
æternam impetrat.
6. Credere verò in Christum, multa mo- *Fidei*
uent. Primò signa potestatis: *Multi enim* *motiua.* *Ioan. 2.*
credebant in eum, videntes signa quæ faciebat.
2. Verba veritatis. Nam *plures crediderunt* *Ioan. 4.*
propter sermonem eius. 3. Opera bonitatis.
Operibus, inquit, *meis credite.* 4. Diui- *Ioan. 10.*
na inspiratio. Nam *alloquitur & admonet* *Sap. 12.*
vt relictâ malitiâ credant in te Domine. 5.
Scripturarum testimonia. Nam ea scripta
sunt, *vt credatis, quia Iesus est filius Dei.* *Ioan. 20.*

6. Exempla Sanctorum; hinc Propheta,
Rom. 10. *Credidi propter quod loquutus sum.* Et, *Pa-*
1. Cor. 9. *tres nostri omnes sub nube fuerunt.* &c. 7. Vtilitas credentium; nam sermo eius hos qui crediderunt conseruat. Vtilitas hæc est illuminatio rationis; qui enim credit
Ioan. 12. Iob. 7. in Christum, *non manet in tenebris.* Inflammatio voluntatis. Nam *flumina fluent de ventre eius.* Glorificatio totius hominis.
Ioan. 3. *Hac est* enim *voluntas Patris, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Fides varia. 7. Circa fidem tamen quidam diuersimodè se habent; aliqui etenim nec credunt corde, nec confitentur ore; & hi iam iudicati sunt. Quidam deinde confitentur ore, sed non credunt corde. Quidam econuersò credunt corde, sed non confitentur ore & opere. Et hi *confitentes se*
Tit. 1. *nosse Deum, factis negant*, & tales sunt hæretici. Quidam tandem credunt ore & confitentur opere. Et de istis dicit Apost.
Rom. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris.*

Rom. 1. Transitus à fide in fidem. 9. Et quia Apost dicit quòd *iustitia reuelatur ex fide in fidem*, id est, ex fide veterum in fidem Apostolorum, & Ecclesiæ, obserua quòd iste transitus etiam est ex fide venturi & in fidem venientis Christi. Deinde ex fide primi aduentus in fidem secundi aduentus. 3. Ex fide promissionis in fidem impletionis. 4. Ex

fide prædicantium in fidem populorum credentium. Tandem ex fide verbi & visionis in ænigmate, in visionem gloriæ.

Filiatio. *Vide* Dei Filius.
Filij. *Vide* Parentes.
Finis.

Finis dicitur quatuor modis.

FInis eſt quadruplex. Nam eſt Primò finis conſummationis, teſte Dauide, *Omnis conſummationis vidi finem*. Sic beatitudo eſt finis conſummationis huius vitæ mortalis. 2. Eſt finis conſumptionis; ſic dum conſumitur, finitur. Sic intelligitur, dum Dominus dixit, *Finis vniuerſæ carnis venit coram me*. 3. Eſt finis termini: ſic pratum dicitur finiri vbi terminatur. 4. Eſt finis intentionis: ſic dicitur, talis eſt finis operarij, id eſt, ad quod dirigit ſuam intentionem & opus. Sic *mercenarius præſtolatur finem operis ſui*. Has omnes rationes includit charitas. Eſt enim finis præceptorum conſummatione, vitiorum conſumptione, quia *omnia delicta operit*; miſeriarũ in gloria terminatione, & tandem finis operum intentione. Quare meritò dicitur Charitas vita operum, finis præceptorum, excellentior viarum, maior virtutum, & mater omnium bonorum.

Finis multiplex. *Pſal. 118.* *Gen. 6.* *Iob 7.* Charitas finis omnium. *Prou. 10.*

Flagella Dei. *Vide* Plagæ.

Fluctus.

Duplex genus fluctuum, & quodlibet rursum triplex.

Fluctus varii. DVplex est fluctuum genus, vnum pœnæ; & hoc iterum est triplex. Primum tentationis Diabolicæ, impellens ad

Matth. 8. submergendum: Sic *nauicula*, id est, anima sæpè *obruitur fluctibus*. 2. Tribulationis mundanæ commouentis ad perturbandũ,

Psal. 87. de quibus Dauid, *Omnes fluctus tuos induxisti super me*. 3. Vltionis diuinæ attingentis ad puniendum. Nam est quandoque

Luc. 21. *pressura* pro *confusione sonitus maris & fluctuum diuinæ vltionis*. Aliud est culpæ, quod itidem est triplex. Primum infidelitatis & ignominiæ perturbantis mentẽ & obcæcãtis. 2. Carnalis lasciuiæ despuman-

Iudæ. tis ad maculandam animã, & *hi sunt fluctus feri maris, despumantes suas confusiones*. 3. Cupiditatis & auaritiæ tumultuantis ad

Esai. 57. rapiendum. De quibus dicit Propheta, *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, quia redundant fluctus eius.*

Fraternitas. Fortitudo. *Vide* Patientia, Tribulatio.

Fratres multi nominantur in Scriptura.

Fratres multi. NOmen fratris diuersimodè accipitur. Quidam enim sunt & vocantur fratres

tres naturâ, vt Iacob & Esau. Deinde gente & natione, vt Iudæi: sic dixit Moyses, *Non poteris alterius gentis regem facere, qui non sit frater tuus.* 3. Cognatione, vt Abraham & Loth; ad quem dicebat Abraham, *Non sit iurgium inter me & te; fratres enim sumus.* Quartò tandem affectione, vt omnes Christiani; illi enim habent communem Patrem quem inuocant, dicentes, *Pater noster qui es in cælis.*

Deut. 17. *Gen. 13.* *Math. 6.*

Fuga, Fugere.

Duplex fuga; vna bona, alia mala.

Fvga bona est triplex, & est primò fuga humilitatis, quâ fugiuntur honores. Sic *abscondit se Iesus & fugit. Sic Saül fugit & abscondit se domi*, vbi Dominus eum prodidit. 2. Est fuga veniæ, quâ Christus fugit peccantes in se, ne amplius peccarent: sic *fugit in Ægyptum à facie Herodis*, & *ipse transiens per medium illorum ibat.* 3. Est fuga cautelæ; sic iussi sunt Apostoli & viri Apostolici; sic fugit Helias Iezabelem, & Dauid Saülem. Fuga mala est etiam triplex. Prima est superbiæ & inanis gloriæ: sic Ioannes fugit honorem, & dixit se non esse Christum. 2. Est fuga mundani timoris: sic *mercenarius fugit*, dum *videt lupum venientem.* 3. Est humani terroris, & sic *fugit impius nemine se persequente.* Et, *trepidant timore vbi non est timor.*

Fuga multiplex. *Ioan. 6.* *1. Reg. 10.* *Math. 2.* *Luc. 4.* *Math. 10.* *Ioan. 1.* *Ioan. 10.* *Prou. 28.* *Psal. 13.*

Gaudium, Gaudere.

1 *Quadruplex gaudium.*
2 *Multi gaudent, sed diuersimodè.*

Gaudium multiplex. 1. QVadruplex esse gaudium patet, quia quoddam est peruersum, de iniquitate: & sunt qui *lætantur cùm malefecerint.* Prou. 2. Aliud est paruum. Quia *gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Iob 20. Quoddam est magnum, de veritate; sic *videntes stellam* Saluatoris *Magi, gauisi sunt gaudio magno valde.* Matth. 2. Tandem est maximum, quod est de diuina maiestate in quod gaudium intrabunt omnes serui fideles. Matth. 25.

Gaudij causæ. 2. Multi autem diuersimodè gaudent, & quidem diuersis gaudijs; Quidam gaudent in vanitate mundi, quod est periculosum & vanum. Alij in voluptate peccati, & est insanum. Alij verò gaudent in voluntate boni, & est verum & gratiosum. Tandem quidam in visione Dei, & est gaudium merum & gloriosum. Primum, est gaudium mundi, quod malum esse & periculosum ostendit facilitas casus, ignorantia status, breuitas gaudij, & multiplicitas reatus. Gaudium mundi. 2. Est gaudium peccati; quod insanum esse probat causa efficiens, materia, forma, & finis. Gaudium peccatorum. Nam res aliqua iudicatur vituperabilis ratione efficientis; vt dona iniquorum; ratione

materiæ, vt nummus plumbeus; ratione formæ, vt homo monſtruoſus; tandem ratione finis, vt cantus aucupis & adulatoris. Sic gaudium peccatorum, Primò ratione efficientis, quia peccans laborat ad mortem animæ. 2. Ratione materiæ, quia peccatum, eſt dulce venenum quo anima perit & intoxicatur. 3. Ratione formæ, quia fatuus eſt omnis peccator. Tandem ratione finis, quia eorum finis interitus. 1. Eſt gaudium Iuſti, cui gaudium eſt facere Iudicium, hoc eſt, gaudium gratioſum, quia gaudent de beneficijs Dei, de Chriſti Incarnatione, de eius natiuitate, & prædicatione, & alijs Chriſti actionibus. 2. Gaudent de aduerſitatibus à mundo, quia per eas acquirunt regnum Cœlorum, & beati vocantur. 3. De proſperitatibus proximi, ſcilicet de peccantium pœnitentia & reſipiſcentia, de ignorantium ſapientia, de proficientium perſeuerantia. 4. De ſanctitate ſtatus proprij. Quartum & vltimum gaudium eſt gaudium cœli & æternæ beatitudinis, quod eſſe glorioſum oſtendit Aſpectus gratiſſimæ pulchritudinis, Amplexus ſummæ dulcedinis, Abſentia omnis inquietudinis, & obtentio æternæ beatitudinis.

Gaudium iuſtorum.

Gaudium beatorum.

Gemitus, Gemere.

Quatuor causæ gemendi, & exinde quatuor sunt gementium genera.

Gemitûs causæ. SPiritus sanctus facit sanctos gemere ex quatuor, quibus gemitus oriuntur: causantur ex labore, dolore, amore, & timore. Dolor facit gemere pœnitentes: Labor proficientes: Amor perfectos: Timor Prælatos & rectores. Gemitus ergo pœnitentium, Primò est contritionis, sicut gemit latro de furto. 2. Confessionis, sicut gemit æger coram medico. 3. Satisfactionis, sicut gemit equus calcaribus adactus. Gemitus verò proficientium est primò, studiosæ meditationis, quoad vires rationis. 2. Deuotæ orationis, quoad vim concupiscendi. 3. Fraternæ compassionis, quoad vim irascibilem. Gemitus verò perfectorum est etiam triplex. Primò desiderij diuinæ visionis, quoad Deum. 2. Zeli & æmulationis, quoad proximum. 3. Tædij vitæ præsentis, quoad seipsum. Tandem Gemitus Prælatorum. Gemitus Prælatorum triplex quoque est iuxta tres necessitates Prælatorum. Primò sollicitudinis interioris. 2. Curæ exterioris. 3. Periculi dispersi gregis.

Gladius. *Vide* Verbum Dei.

Triplex Gladius; peccatorum, iustorum, & Prælatorum.

QVIA gladio vtuntur malignantes, militantes, & dominium habentes: ita triplex inuenitur gladius. Primò Peccatorum, de quo Dauid, *Gladius ipsorum intret in corda ipsorum*, & est rancoris in corde. 2. Detractionis in ore, de quo dicitur, *Gladius in labiis eorum*. 3. Persequutionis in opere De quo dicitur, *Euaginabo gladium meum, sumam vltionem de hostibus meis*. Et hunc gladium euaginant peccatores. 2. Est gladius iustorum, itidem triplex. 1. Veritatis doctrina ad impugnandum astutias Dæmonis. Et hic est *gladius spiritûs quod est Verbum Dei*. 2. Mortificatio carnis ad resecandas eius spurcitias. Et hic est gladius Gedeonis, contra Madian. 3. Compassio charitatis ad abradendum crudelitatem mundi. Et hic est gladius Ezechielis radens pilos. 3. Est gladius Prælatorum. Et sic rursum est triplex. Primò vindictæ ad terrorem & deiectionem malorum, per correctionem. 2. Tutelæ ad protectionem bonorum; & hic est gladius acutus *exiens de ore filij hominis*. 3. Authoritatis ad exequutionem prædictorum. *Non enim sine causa gladium portat*. Huic adiungitur gladius extremæ retributionis, quem Dominus 1. Vibrabit ad comminationem malorum. 2. Exacuet ad interfectionem damnatorum. Et tandem eleuabit ad victoriam gloriæ bonorum.

Gladij plures, Peccatorum. *Psal. 36.* *Psal. 58.* *Exod. 15.* Iustorũ. *Iud. 7.* *Ezech. 5.* Prælatorum. *Apoc. 1.* Gladius extremus.

Gloria mala, siue vana.

1 *Gloriam quadruplicem damnat Apostolus, & quadruplicem commendat.*
2 *Gloria malorum quomodo perit.*

Gloria mala. 1. DAmnat Apostolus eam gloriam, quæ est in voluptate corporis. Nam
1. Cor. 1. dicit, *quòd non glorietur omnis caro coram eo.* 2. Eam, quæ est in amore terrenorum:
Philip. 3. nam dicit, *gloriam eorum esse in confusione, qui terrena sapiunt.* 3. Eam, quæ est in
1. Cor. 4. cordis elatione, quia nihil quidquam habet nisi quod à Deo accepit, vt idem dicit. 4. Eam, quæ est in exteriori simula-
2. Cor. 5. tione; & sunt *qui in facie gloriantur, sed*
Bona. *non in corde.* Econtrà commendat autem quadruplicem gloriam bonam, primò eam quæ est in conscientiæ puritate: nam
2. Cor. 1. gloria bonorum est *testimonium conscientiæ.* 2. Eam quæ est in malitiæ destructione: nam de conuersis à se dicit idem Apo-
1. Thess. 2. stolus, *Vos estis gloria mea, & gaudium meum.* 3. Eam quæ est in pœnæ toleran-
Rom. 5. tia: Nam *ipse gloriatur in tribulationibus.* 4. In spe gloriæ; & hæc est iucunda, *quia*
Psal. 49. *exultabunt Sancti in gloria.*

Gloria malorum perit. 2. Perit autem gloria eorum qui *lætantur cùm malefecerint & exultant in rebus pessimis.* Nam Gulosorum gloria euacuatur per
Prou. 2. pauperiem. Luxuriosorum defœdatur turpitudine. Superborum captiuatur per hu-

militatem. Iracundorum incineratur, nam *gloria eorum in puluerem deducitur.* Auarorum annihilatur. Inuidorum excluditur. Et Acedioſorum culpatur. *Pſal. 7.*

Gloriari benè.

Sancti in quibus glorientur.

SAncti ſpiritualiter gloriantur. Primò in profectu aliorum. Nam quando *gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* 2. In conuerſione peccatorum; *Gaudium enim eſt ſuper vno peccatore pænitentiam agente*, *Angelis*, quantò magis Sanctis? 3. In expectatione præmiorum? *gloriantur enim in ſpe filiorum Dei.* 4. In reuelatione myſteriorum cœleſtium. ſic Apoſtolus gloriabatur. 5. In recta intentione operum, in qua *gloriantur omnes recti corde.* 6. In memoria crucis Chriſti. 7. In contemptu terrenorum. Paupertate enim emitur regnum cœlorum. 8. In puritate conſcientiæ. Nam illa eſt gloria vera teſtimonium conſcientiæ bonum. 9. Tandem in tolerantia tribulationum: nam ſic Apoſtolus gloriabatur in tribulationibus, in anguſtijs pro Chriſto.

Gloriatio Sanctorũ. *1. Cor. 15.* *Luc. 14.* *Rom. 3.* *2. Cor. 12.* *Pſal. 31.* *Gal. 6.* *2. Cor. 1.* *2. Cor. 12.*

Gloria cœleſtis. *Vide* Cœlum.

Ad bonum gloriæ peruenitur per ſeptem.

BOnum gloriæ quod dicitur omne bonum, habetur & adquiritur; primò

Gloriæ cœleſtis acquiſitio.

per largitatem & liberalitatem in paupe-
Prou. 13. res, *Misericordia enim & veritas prapa-
rant bona*. 2. Per sanctitatem vitæ; *non*
Psal. 83. enim, *priuabit bonis eos, qui ambulant in in-
nocentia*. 3. Per feruentem dilectionem:
Psal. 34. *Inquirentes* enim *Dominum non minuentur
omni bono*. 4. Per fidelitatem obsequij &
Matt. 25. seruitij: Nam fidelem seruum *super omnia
bona sua constituit Deus*. 5. Per deuotionem
orandi: nam dum Moyses oraret vt pos-
set admitti ad visionem gloriæ, dixit illi
Exod. 33. Deus, *Ego ostendam tibi omne bonum*. 6. Per
Hier. 32. humilitatem pœnitendi: *Adducam super
populum meum* pœnitentem *omne bonum*,
quod ego loquor ad eos, dicit Dominus. 7.
Tandem per virtutem perseuerandi: Nam
Hier. 30. *reuertetur Iacob, & requiescet, & cunctis
affluet bonis*.

Gratia.

1 *Gratia necessaria nobis est ad multa.*
2 *Gratia attribuitur alicui quadruplici ratione.*
3 *Gratia Dei comparatur oleo.*
4 *Gratia Dei habet multos effectus.*
5 *Gratia Dei in vacuum recipitur quinque modis.*

Necessitas gratiæ. GRatia est omnibus ad salutem necessaria, quia est gloria inchoatiua; deinde est infantiæ & innocentiæ nutrimentum, & nutrix. 3. Ignorantiæ do-

ctrix, & documentum. 4. Indecentiæ ornamentum. 5. Inconstantiæ supplementum. *Optimum enim est gratiâ stabilire cor.* Heb. 12.
6. Insufficientiæ supplementum. Sufficit enim gratia eius 7. Malitiæ purgamentũ, 2. Cor. 12.
Nam gratis iustificamur per gratiam ipsius. 8. Item eloquentiæ condimentum: Rom. 3.
nam diffunditur etiam gratia in labiis. 9. Psal. 44.
Huius viæ tutamentum, modestiæ delectamentum. Nam gratia confortat & perficit naturam. 10. Amicitię fundamentum. Nam Prou. 22.
gratia labiorum facit amicum regem. 11. Sap. 4.
Misericordiæ incitamentum, quia *gratia & misericordia est in Sanctis eius.* 12. Mi- Rom. 7.
seriæ decrementum. Nam gratia subleuat *à corpore mortis huius.* 13. Et tandem glo- Psal. 84.
riæ argumentum, quia *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quare maximè nobis necessaria est gratia præter dicta, tum primò ad cognoscendum; quia per gratiam reuelationes fiunt. 2. Ad bonum volendum; præparat enim voluntatem vt velit. 3. Ad agendum bonum. Nam gratia Dei nobiscum laborat. 4. Ad loquendum. Nam sermo noster debet esse in gratia, quasi sale conditus. 5. Ad proficiendum, ne in nobis vacua sit. 6. Ad perseuerandum. Nam optimum est gratiâ stabilire cor. Tandem Septimò ad conuersandum. In ea enim qui conuersatur, gloriam impetrat in quam occurret in virum perfectum, &c.

2. Confertur autem aliquibus specialiter gratia. 1. Ratione potestatis, quia quò Quomodo datur gratia.

dignitas altior, eò periculosior, quare maiori gratia indigent. 2. Ratione propin-
1. Cor. 6. quitatis; *qui enim adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo.* 3. Ratione vtilitatis, at-
Eph. 2. que adeò *dedit quosdam Apostolos, quosdam verò Prophetas, & Doctores, in opus ministerij Ecclesiæ.* 4. Ratione sanctitatis, ideò
Luc. 1. beata Virgo *plena gratiâ* dicitur, & *Stepha-*
Act. 6. *nus plenus Spiritu sancto.*

Gratia est oleũ. 3. Comparatur autem gratia oleo. 1. Quia vulnera sanat, peccata delendo; ideò *Sa-*
Luc. 10. *maritanus infudit in vulnera oleum.* 2. Quia dolores mitigat in tribulatione. Nam *exhilaratur facies*, id est, conscien-
Psal. 103. tia, *oleo.* 3. Quia aquarum profunda illu-
1. Ioan. 2. minat, obscura reuelando; *vnctio enim eius docet de omnibus.* Ideò dicuntur Sancti
Zach. 4. *Filij olei splendentis.* Quartò, quia cibos dulcorat, labores pœnitentiæ alleuiando. In signum huius offerebatur simila
Leuit. 2. trita, oleo illita. Quintò, quia liquoribus omnibus supernatat, animam sursum eleuando; effuso enim oleo super lapidem,
Gen. 28. vidit Iacob *Angelos descendentes & ascendentes.* 6. Reges & Pontifices consecrat in Dei ministros. Sic vnctus Aaron & Saül & Dauid. 7. Tandem igni pabulum ministrat, charitatem conseruando, & inflam-
Matth. 25. mando, cuius defectu lampades nostræ extinguuntur.

Effectus gratiæ. 4. Habet autem gratia Dei multos effectûs. Nam, Primò filios Dei gignit, ad esse
1. Cor. spirituale. Sic Apost. *Gratiâ Dei sum id*

quod sum. 2. Nutrit illos in esse conseruando, vnde Salomon *Omnium nutricem gratiam* vocat. 3. Erudit de necessarijs instruendo. Nam *gratia Dei apparens in Christo hominibus erudit nos*. 4. Protegit à periculis liberando: Sic Sapiens, *Aliquoties periclitatus sum horum causâ. Sed liberatus sum gratiâ Dei*. 5. Purgat à peccatis iustificando. Nam *gratis iustificamur*. 6. Iuuat in bonis collaborando. Nam plus omnibus laborat. 7. Confortat in tentationibus & tribulationibus: sic ad Timoth. Apost. *Tu ergo fili confortare in gratia Dei*. Tandem Octauò saluat, quia *gratia Dei vita aterna*.

Sap. 16. Tit. 2. Eccli. 33. Rom. 3. 2. Tim. 2. Rom. 6.

5. In vanum autem & frustra ille gratiam accipit, qui primò, eâ acceptâ, gratias nõ agit Deo. Nam secundùm D. Bernard. Ingratitudo est ventus siccans venas misericordiæ, & fontem gratiæ. 2. Quando bonum quod ex gratia habet, sibi & non Deo attribuit, ideò Apost. *Quid habes quod non accepisti*? 3. Quando gratiam collatam non perseuerando reijcit. Sicut illi de quibus Propheta: *Proiecit Israel omne bonum*. 4. Quando gratiam sine legis obseruantia non sufficere putat, quibus dicebat Apost. *Si circuncidamini, Christus vobis nõ proderit*. Quintò tandem & vltimò quando gratiæ Dei alijs inuidus existit. De quo Iob, *Paruulum occidit inuidia*.

Ingratitudo quid. 1. Cor. 4. Osea 8. Gal. 5. Iob. 5.

Gratiarum actio. *Vide* Laudare Deum.

Gratiæ agendæ Deo quibus modis.

Deo gratias. DIgnum est vt Deo gratias agamus. Primò, deuotè & iucundè, quia iucundè & sine merito datur nobis. 2. Magnificè, quia magna dantur nobis: sic Machabæi,
1. Mach. 2 *De magnis*, inquiunt, *periculis liberati magnificè Deo gratias agimus*. 3. Assiduè, quia continuè beneficia impenduntur nobis: Hinc Apost. *Gratias agentes semper*
Eph. 5. 1. Thess. 5. *Deo & Patri*. 4. Integrè, quia omnia bona sunt quæ dantur nobis. Ideò in omnibus gratias agere oportet.

Gula. *Vide* Ebrietas, Vinum.

1. *Quinque modis peccatur Gulâ.*
2. *Gula nocet multipliciter*
3. *Remedia gulæ quæ.*

Gulæ peccata. 1. GVlâ, aut voraci edacitate naturæ finibus non contentâ, quinque modis peccatur. Primò cum impatientia expectando tempus, comedendi horam præuenit. Deinde quando quis quærit cibaria pretiosa & delicata, de quibus Poëta,
Ouid. *Est virtus placitis abstinuisse bonis*. 3. Quando quis mensuram excedit nimium co-

medendo, seipsum grauando, & stomachum onerando. 4. Quando quis nimis festinè & voraciter comedit; non enim vsus ciborum, sed concupiscentia in vitio est. 5. Quando quis cibaria nimis delicatè & studiosè præparat; non enim sapores, sed fames excitare debet appetitum.

2. Gula autem nocet multifariàm. De Paradiso eiecit hominem, spiritualia bona perdit, vt patet in Esau, qui pro cibo vendidit primogenita sua. Diabolo domum præparat. Seruum contra Dominum armat: Nam seruus delicatè nutritus fit contumax. Luxuriam inducit, vt patet in Loth. Homicidium perficit, vt patet in occisione Ioannis Baptistæ. Inducit mortem naturæ & eam accelerat. Patet in esu pomi prohibiti. Item mortem æternam. Nam *diues epulo sepultus est in Inferno*. Gulæ mala. *Prou. 19.* *Luc. 16.*

3. Gulæ remedia sunt 4. Primum spiritualium ciborum frequens sumptio. 2. Futuræ carnis, quæ delicatè nutritur, conditionis consideratio. 3. Æternæ cœnæ meditatio, vbi satiabuntur animæ ab vbertate domus Dei. 4. Famis & abstinentiæ Christi & Sanctorum consideratio. Gulæ remedia. *Psal. 35.*

Hæres, Hæreditas.

1. *Triplex inuenitur Hæreditas.*
2. *Hæreditatem Paradisi quinam & qui-*

bus virtutibus consequantur.

3. *Hæreditatem inferni quatuor genera hominum acquirunt.*

Hæreditas multiplex. 1. TRiplex inuenitur Hæreditas. Suprema, quę est electorum, de qua Propheta, *Hæreditabunt terram electi mei, & serui mei hæreditabunt ibi.* (Esai. 65.) Infima, quæ est Infernus, & est reproborum, & hæreditabunt perditionem. (Eccli. 20.) Media, quæ est amborum, de qua Salomon, *Seruus sapiens dominabitur stultis filiis, & inter fratres hæreditatem diuidet.* (Prou. 17.)

Hæreditas cœli. 2. Acquirunt autem supremam hæreditatem, Primò fideles per opera fidei; *qui enim crediderit ei, permanebit & hæreditabit illam:* (Eccli. 4.) 2. Expectantes per spem, & opera spei: *Expecta Dominum*, inquit Dauid, *& custodi viam eius, & exaltabit te vt hæreditatem capias.* (Psal. 36.) 3. Diligentes per opera charitatis, *Cùm enim dederit dilectis suis somnum, Ecce hæreditas.* (Psal. 126.) 4. Iusti & sapientes, & mundi, & luctantes per opera quatuor virtutum Cardinalium.

Hæreditas inferni. 3. Hæreditatem inferni acquirunt superbi, exemplo Luciferi: *posuit* enim *hæreditatem eius Dracones deserti.* (Malac. 1.) 2. Inuidi exemplo Iudæorum. 3. Iracundi, Auari, Acediosi, & Luxuriosi, quia tales, inquit Apostolus, *regnum Dei non hæreditabunt.* (Gal. 6.)

Hæreticus.

1. *Hæretici qui & quare vitandi.*
2. *Hæretici cur canibus comparentur.*

1. HÆreticus est iuxta Augustinum, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusque sui causâ, nouas opiniones gignit vel sequitur. Et ideò meritò vitandus. Habent enim Primò crrdulitatem erroneam, corrupti mente, & reprobi circa fidem. 2. Habent cauteriatam conscientiam. 3. Familiaritatem deceptoriam: *Per dulces* enim *sermones seducunt corda innocentum.* 4. Vitam simulatam: nam habent speciem pietatis, virtutem eius tamen abnegant. 5. Habent doctrinam pestiferam, quæ corrumpit bonos mores. 6. Intentionem peruersam, quia intrinsecus sunt lupi peruersi, etsi *veniant in vestimentis ouium.* Tandem 7. Mentem habent obstinatam, quia resistunt veritati.

Hæretici definitio. Tit. 3. 1. Tim. 4. Rom. 16. 2. Tim. 3. 1. Cor. 15. Ioan. 10. 2. Tim. 3.

2. Comparatur ideo meritò canibus. Primò propter erroris recidiuum, sicut *canis reuertitur ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.* 2. Propter irrationabilem latratum: Nam in omnes latrant, sic isti quiduis calumniantur Doctrinæ Ecclesiæ. 3. Propter morsum detractionis contra Ecclesiasticos. Tandem

Hæretici sunt canes. 2. Pet. 2.

quartò propter expulsionem de Ecclesia, id est, excommunicationem : nam istis dicitur: *Foris canes & venefici.* Apoc. 22.

Homicidium. *Vide* Ira.

Committitur homicidium multipliciter.

Homicida quis. MVltifariàm committitur homicidiũ, & fit quis homicida. Primò voluntate odiendo; vnde *omnis qui odit fratrem suum homicida est.* 1. Ioan. 3. 2. Linguâ, persuadendo, sicut Iudæi occiderunt Christum. *Occidistis,* inquit, *iustum.* Iacob. 5. 3. Scripto, mandando: sic *Dauid occidit Vriam gladio.* 2. Reg. 5. 4 Manu, percutiendo. 5. Rapinâ, necessaria subtrahendo. *Qui enim de rapto offert,* est *quasi qui victimat filium in conspectu Patris.* Eccli. 34. 6. Immisericordiâ, non subueniendo; qui enim non pauit occidit. Tandem 7. Negligentiâ, non defendendo, non vindicando. 8. Detrahendo & infamando.

Homo.

1. *Homo quomodo à Deo creatus.*
2. *Hominis perfectio quadruplex.*
3. *Homo subditus est, & obligatur pluribus.*
4. *Homo debitor est Deo, sibi, & proximo.*
5. *Homo ratione fidei debet proximo septem.*

6. Homo

6. *Homo vetus exspoliandus est, & multiplex est exspoliatio.*
7. *Homo quorum debet iugiter memorari.*
8. *Homo debet cognoscere tria ad quæ rectè debet ordinari.*
9. *Homini tria testimonium perhibent.*

1. HOmo inter omnia creata inferiora nobilissimus, formatus est à Deo, per creationem; sic enim scriptura, *Formauit Deus hominem.* Qui tamen deformatus est per culpam, præuaricando, & transgrediendo Domini præceptum; quare ex diuina misericordia reformatus est per gratiam, atque informatus per doctrinam, vt mens eius bonitatem Dei agnosceret. Conformatur per assimilationem imaginis filij Dei, vt tandem transformetur per contemplationem beatitudinis & gloriæ diuinæ in secula seculorum. Formatio hominis. *Gen. 1.*

2. Eius perfectio quadruplex legitur in scriptura. Primò naturæ præ cæteris rebus creatis. 2. Innocentiæ, quæ ei collata fuit cum iustitia originali. 3. Iustitiæ, quia habebat iustitiam originalem. 4. Gloriæ, quando *omnes occurremus in virum perfectum.* Perfectio hominis. *Eph. 4.*

3. Obligatus autem manet, etsi libero arbitrio præditus, Primò legi naturæ. 2. Diuinæ authoritati. 3. Voti obligationi. 4. Patrum & Principum decretis. 5. Superiorum præcepto in his quæ per- Obligatio hominis.

tinent ad cathedram, id est, regendi authoritatem. Tandem etiam conscientiæ dictamini etiam erroneæ donec melius edoceatur.

Deo, 4. Homo præterea debitor est alia ratione Deo, sibi & proximo. Deo autem in primis debet tria; vnum ratione delicti. Aliud ratione beneficij. Tertium ratione Præpositi. Ratione delicti debet Primò emendam pro delictis in opere pœnitentiæ. 2. Seruitium pro beneficiis; *absit ergo à nobis, vt relinquamus Dominum.* (*Iosue 24.*) 3. Rationem de vniuersis acceptis: nam quandoque dicet, *Redde rationem villicationis tuæ.* (*Luc. 16.*) Sibi, Debet autem homo sibi tria secundùm tres partes, carnē, animam, & totum compositum. Carni mortificationem, ne secundùm eam moriatur in anima. Animæ & sensualitati displicentiam & resistentiam; toti composito verò, munditiam & nitorem. Proximo tandem tria debet secundùm actum cordis, oris, & operis. Debet ergo primò dilectionem cordis. Deinde instructionem oris. Et 3. subuentionem operis, tam in spiritualibus & temporalibus, quàm corporalibus.

Christiano. 5. In quantum verò homo est membrum alterius in corpore Ecclesiæ, debet vnus fidelis alteri septem. Primò inseparabiliter adhærere, per *vnitatem spiritus in vinculo pacis.* (*Eph. 4.*) 2. Prouidere necessarijs per curam & sollicitudinem. 3. Iuuare in bonis per cooperationem: *Hæc n. firmant ciuitatem* (*Prou. 18.*) 4. Descēdere à malis per

protectionem. 5. Congaudere in prosperis per congratulationem, id est, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus; in aduersis verò per compassionem. Tandem 6. Subministrare gratiam & spirituale auxilium, *vnusquisque prout accepit gratiam.* 1. Pet. 4

6. Homo autem vetus peccato inueteratus expoliandus est veluti tunica veterascens. Primò quia maculata est hæc tunica, & inficit maculando. 2. Quia cruentata est sanguine peccati, quo interfectus est homo. 3. Quia parua est, & lacera, nec tegens contra frigus indeuotionis, nec calefaciens calore charitatis. 4. Quia scissa est, & deficiēs, animam ad defectum inuitans. Est autem multiplex exspoliatio. Vna quā timet natura, animæ scilicet à corpore. *Nolumus* enim *exspoliari sed supervestiri.* Alia quam infert violentia, scilicet fortunæ à possessione. 3. Quam facit culpa, gratiæ scilicet & virtutum, à mente. 4. Quam exigit pœnitentia, scilicet culpæ à peccatore. 5. Quam elicit misericordia, scilicet tēporalis substantiæ in pauperum subuentionem. 6. Quam consulit sacra scriptura; scilicet terrenorum à voluntate. 7. Quam præcipit prudentia, scilicet sumptuum à plebe in bonum publicum. 8. Quam exequitur diuina iustitia, scilicet gratiæ in præsenti & gloriæ ab impœnitente. Tandem 9. Quam fecit Christi victoria, scilicet Inferni à patribus. Nam exspolians principatus & potestates reduxit illos palā. Coll. 2.

Exspoliatio veteris hominis.

2. Cor. 5.

Memoranda homini. 7. Debet autem homo memor esse trium, quorum Primum pertinet ad seipsum. 2. Ad proximum. Tertium ad Deum.
Quoad se Quoad se ipsum debet Primò meminisse infirmitatis naturæ, vt sit cautior contra
Eccli. 8. casum, & quòd *omnes in corruptione sumus*. 2. Damnositatis culpæ, vt sit *memor*
Apoc. 2. *vnde exciderit & pœnitentiam agat*. 3. Breuitatis vitæ, vt sit sollicitior ad bene
Eccli. 14. operandum, *quoniam mors non tardat*.
Quoad proximum. Quantum ad proximum debet, Primò meminisse probitatis electorum ad imitandum. 2. Facultatis malorum ad detestandum; pulchrè enim corrigitur, qui alterius exemplo corrigitur. 3. Necessitatis egenorum ad succurrendum, in operibus misericordiæ. Tandem, quoad Deum,
Quoad Deum memor debet esse, Primò creationis omnium rerum ad laudandum ipsum. 2. Redemptionis omnium ad diligendum Re-
Eccli. 27. demptorem; ideò bene Sapiens: *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris; posuit enim animam suam pro te*. 3. Remunerationis meritorum ad timendum, quia & sanctus
Psal. 118. Dauid dixit, *A iudiciis tuis timui. Confige* ergo *timore tuo carnes meas*.

Cognoscenda 8. Cognoscere debet homo tria ad quæ rectè debet ordinari; scilicet seipsum, proximum & Deum. In seipso, Primò debet
In seipso. agnoscere propriam iniquitaté, vt doleat & deleat. 2. Spiritualem infirmitatem, vt caueat ne cadat. 3. Necessariam at incertam mortis horam, vt sibi antè prouideat. Ideo

Dauid, *Notum fac mihi Domine finem meum.* In proximo debet agnoscere prælatorum dignitatem & vtilitatem, vt eis obediat & seruiat. 2. Subditorum conditionem, vt eos regat & prouideat. 3. Omnium naturam communem, vt omnes diligat, & subueniat. In Deo debet agnoscere, Primò admirabilem potestatem in operando, in iudicando. 2. Imitabilem bonitatem in condonationem peccantium. quia ob hoc datus est filius, datus est Spiritus sanctus, in promissione præmiorum. 3. Fidelem sapientiam, in doctrina veritatis, in disciplina æquitatis, quia Dauid agnouit, *quia æquitas iudicia eius.* *Psal. 37.* In proximo. In Deo. *Psal. 118.*

9. Homini autem tria perhibent testimonium, quod est omni exceptione maius. Primò sua conscientia, vt ait Apostolus: *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum.* Sicut & Seneca: Fama inquit, falli, potest, conscientia nunquã. 2. Propria vita: nam opera testificantur de vita. 3. Hominum fama: nam *oportet vt habeat testimonium bonum, ab his qui foris sunt.* Testes hominis. *Rom. 2.* *1. Tim. 3.*

Honestas.

Honestatis distinctio eiusque motiuum, modus, & commodum.

Circa honestatem illud in primis considerandum, quòd ea triplex est. 1. Quam dat & facit natura, vt sunt honesta Honestas varia.

natalia, dotes corporis, bona inclinatio & educatio, morumque compositio. Alia quam dat fortuna, quę in honore externo, diuitiis, officiis, & morum affabilitate, & ciuilitate consistit. 3. Est quam dat gratia supernaturalis, descendens à Deo, quæ consistit in virtutibus & sancta conuersatione. De qua honestate consideranda in primis motiuum, modus, & commodum.

Motiuũ eius. Motiuum est, Primò claritas temporis, in quo multi sancti florent; vt in nouo testa-

Rom. 13. mento; *nox enim præcessit, dies autem appropinquauit.* Maior enim honestas re-

2. Cor. 6. quiritur de die quàm de nocte. *Ecce nunc dies salutis,* &c. 2. Honestas regis, cui seruimus. Honestum enim Dominum honesta familia decet. 3. Vtilitas; est enim iuxta Philosophum in hac vita, *honestas sum-*

Prou. 8. *mum bonum.* Quare infinitus thesaurus illius, Hæc intelliguntur de honestate, quæ

Sap. 10. & 8. est effectus gratiæ iustificantis, iuxta illud; *Honestauit illum in laboribus.* Modus ve-

Modus. ro triplex est. Primò mali declinatio. 2. Boni operatio, in qua est honestas sine defectione. 3. Exterior morum composi-

Commoda. tio. Commodum verò iterum triplex. 1. Carnalis concupiscentię repressio. 2. Aliorum ad bonum promotio exemplo

Sap. 10. forti. 3. Et æternæ gloriæ adeptio. *Ostendit* enim *illis Deus regnum Dei.*

Honor.

Honore digni qui, & à quibus honorandi.

HOnor cùm sit exhibitio reuerentiæ alicuius facta in testimonium virtutis, cùm magis sit in honorante quàm in honorato, notandum, Quòd omnis creatura dicitur naturæ instinctu Deum honorare, atque multò magis honorare debet homo Deum, amando, colendo, & nomen Dei glorificando, & in se magnificando cultu religionis. Insuper subditus debet honorare prælatum, quia, *qui bene præsunt, duplici digni honore habeantur.* Deinde, Seruus Dominum, vnusquisque fidelium sanctos & beatos: *Viri vxores*, vt docet D. Petrus. Item Iuuenes seniores. Deinde etiam par parem honorare debet, ideò Apost. *Honore inuicem præuenientes.* Tandem Discipulus magistrum & filius patrem, quia iuxta Aristotelem, *Præceptoribus non redditur æquiualens*, sicut *nec parentibus.*

Honor exhibendus Deo. Prælatis. 1. Tim. 5. Dominis. 1. Petr. 3. Genes. Parentibus & magistris.

Hostia, Sacrificium.

1 *Hostia & sacrificia varia in veteri lege & quare.*
2 *Hostia spiritualis est multiplex.*

1. DOminus instituit hostias frequẽter in lege offerendas. Primò propter idololatriæ declinationem, vnde vetuit ne

Sacrificia legalia.

Leu. 16. *vltrà immolarent sacrificia dæmonibus.* 2. Propter Christi sacrificij veri variam significationem, & figurationem; 1. Cor. 9. *Omnia enim in figuris contingebant* illis. 3. Propter superborum onus & depressionem. 4. Ad excitandam offerentium deuotionem; Exod. 23. ideo voluit vt omnis vir voluntarius offerret in lege ad constructionem tabernaculi. 5. Propter virorum spiritualium consolationem, qui interim designati Saluatoris ac Messiæ aduentu consolarentur visis signis & figuris. 6. Propter populi ad Templum & statum sacerdotalem reuerentiam. Deut. 17. *Qui enim superbiebat nolens obedire sacerdoti*, morte mulctabatur.

Sacrificia spiritualia. 2. Hostiæ spirituales multæ sunt. Prima est opus eleemosynæ, quâ immolatur substantia temporalis. 2. Est mortificatio carnis, quâ immolatur substantia corporalis. 3. Est deuotio diuinæ laudis, quâ immolatur substantia spiritualis, anima scilicet & cor. 4. Est vociferatio orationis, quâ immolatur miseria peccatoris. 5. Est martyrium passionis, quâ immolatur vita hominis.

Hospes, Hospitalis.

Hospitibus Sanctis debemus multa.

Hospitalitas sectanda. HOspites sancti à sãctis suscepti sunt, quare in iis suscipiendis imitari debemus

bemus eorum affectuosam inuitationem; exemplo discipulorum *euntium in Emaus.* *Luc. 24.* 2. Debemus eis lætam susceptionem exẽplo Zachæi, *qui excepit Christum gaudens.* *Ibid. 19.* 3. Largam procurationem exemplo Abrahæ, & Iob, *cui non mansit foris peregrinus, & ostium viatori patuit.* *Iob. 39.* 4. Humilem pedum lotionem & oscula, tales vult Paulus viduas. *1. Tim. 5.* 5. Quiescendi opportunitatem; sic Sunamitis recepit Helizæum. *4. Reg. 4.* 6. Securitatem & protectionem, exemplo Loth. *Gen. 16.* Tandem Septimò in recessu amicabilem deductionem, exemplo Abrahæ. *qui egrediebatur deducens Angelos*, quos hospitio excepit. *Gen. 18.*

Humana fragilitas & humanus defectus.

Humana fragilitas & defectus humanus quid sit.

Consistit humana fragilitas Primò in hoc, quòd in homine est assiduitas deficiendi. 2. Impossibilitas standi. 3. Facultas cadendi. 4. Difficultas resurgendi. 5. Vilitas nascendi. 6. Incertitudo moriendi. *Fragilitas humana vnde.* Defectus humanus est, quòd quidquid habemus, aliundè habemus, & imperfectè habemus, & insuper amittere possumus, & necessitas moriendi, vel illata, vt in Adam; vel innata, vt in nobis, vel assumpta, vt in Christo. *Defectus humanus.*

Humilitas.

1. *Humilitas quid sit, & qualis virtus.*
2. *Habet tres gradus.*
3. *Quæ mouent ad humiliatem.*

Humilitas quid. 1. VEra humilitas, inquit Augustinus, est intuitus propriæ conditionis & sui conditoris, voluntariaque mentis & omnium virium animæ inclinatio. Humilitas est virtus, quæ primò proprias laudes fugit, quia soli auctori omnium bonorum & largitori, eas deberi agnoscit, quare hostis est adulationis, nec illud verbum, *placebo*, agnoscit, nisi respectu Dei, cui placere nullus mortalium potest, nisi ipse dederit. Humilitatis proprium. Est ei proprium, securum reddere hominē à casu; 1. Quia est via infima: securitas enim in infimo est. 2. Quia à deiectione libera est, Deus enim superbos deijcit & resistit: vt enim ictus fulminis superiora mōtium tangit, sic ira & vindicta montes & cacumina superborum deijcit. 3. A vento tentationis, quæ excelsa diruit, humilia autē non tangit. Habet etiam hoc humilitas, quòd non timeat angustam portam, quia etsi angusta sit & parua, ipsa tamen est foramine acus depressior. Deinde propter sui paruitatem, non habet sagittarius venenosus serpens in quod collimet, & sagittam inanis gloriæ

figat 4. Humilitas infrangibilis est, quia incuruatiſe ad omnem voluntatē tam Dei, quàm ſuperioris; quercus verò & rigidæ arbores à tempeſtate cōuelluntur & franguntur: ſic ſuperbi propter rigiditatem ſæpè violenter obedire coguntur, & frangitur dura ceruix, obedientiæ onere. 5. Humilitas propter ſui profunditatem habet affluentiam gratiarum; ſicut enim ad ima vallium deſcendunt fontes & riuuli: ſic ad humilē, de monte excelſo Dei, deſcēdunt omnia dona gratiarū. Et notabile eſt quòd creſcentibus virtutibus creſcit humilitas; quia quantò maior eſt in donis gratię, tantò magis ſe humiliat & inclinat humilis.

2. Humilitas habet tres gradus; Primus eſt ſubdere ſe maiori. Sic Abraham, *Loquar Domino meo, cùm ſim pulvis & cinis.* Et Apoſt. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 2. Subdere ſe pari, nec ſe illi præferre velle, nec quidem minori; & hæc eſt perfecta & perfectior humilitas. Perfectiſſima autem eſt, ſubdere ſe minori, nec alicui ſe velle præferre. Gradus. Gen. 19. Rom. 13.

3. Quatuor ſunt quæ inducunt & mouent ad humilitatem. Primò difficultas ſe habilitandi ad gratiam, propter pronitatem ad malū. 2. Tarditas proficiendi: profectus enim hominis conſiſtit in contemptu terrenorum, odio peccatorum, & deſiderio æternorum. 3. Difficultas ſtandi in gratia; *ſepties* enim *in die cadit iuſtus*. 4. Incertitudo ſtatus ſui; *neſcit* enim *vtrum amore vel odio dignus ſit.* Motiua. Prou. 24. Eccle. 9.

Imago.

Multiplex imago.

Imago naturæ. IMago aliqua est naturæ, quæ semper quasi concreata portatur à nobis in nobisipsis, qua ratione dixit Propheta: *Ve-*
Psal. 38. *runtamen in imagine pertransit homo.* Repræsentat enim in se cuncta creata & hæc
Gratiæ, per peccatum obnubilatur. 2. Est gratiæ, quæ à Deo infunditur, & est similitudo quædam diuinæ naturæ, vt testatur D. Pe-
2. Pet. 1. trus; qua *anima fit consors diuinæ naturæ*, per quam transformamur de imagine naturæ in imaginem filij Dei, de claritate
2. Cor. 4. gratiæ in claritatem gloriæ, tanquam à Domini spiritu; & hæc per peccatū amit-
Vitæ Christi. titur. 3. Est vitæ Christi, quæ per meritum adquiritur & bona opera. Si enim conplantati & configurati fuerimus similitudini mortis eius, erimus & resurrectionis;
Rom. 5. & hæc per peccatum mortificatur. 4. Tan-
Gloriæ. dem est imago gloriæ quæ in præmium datur; *scimus enim cùm apparuerit, similes*
1. Ioan. 2. *ei erimus.* Et hæc per peccatum impeditur & aufertur.

Imitatio Christi. *Vide* Christus. Amor, Crux, Anima.

Christum patientem quomodo imitari debemus.

QVIA Christo in cruce passo compati & commori debemus, Ideò primò cum eo crucifigi debemus cum Apostolo, qui dicebat, *Christo confixus sum cruci.* 2. Mori per carnis mortificationem, *eam semper in corpore nostro circumferentes.* 3. Sepeliri per vitiorum ablutionem; sic enim *consepulti sumus illi in Baptismo.* 4. Cum illo ad inferos descẽdere, per pœnarum considerationem, & hoc est in infernum descendere viuendo. 5. Resurgere per nouam creaturam, & sanctam conuersionem, & hoc est cum Christo non ampliùs mori. 6. Discipulis apparere, per aliorum ædificationem, sic *lucebit lux nostra coram hominibus.* 7. In cœlum ascendere, per cælestium amorem & assiduam contemplationem. *Beatus* enim *vir* dicitur, *qui ascensiones in corde suo posuit.* Tandem Octauò ad iudicium redire per conscientiarum nostrarum discussionem. *Si enim nosipsos iudicaremus*, &c. Vide, Christus num. 15. 16. & 18.

Imitari Christũ.
Gal. 6.
2. Cor. 4.
Rom. 6.
Psal. 54.
Matth. 5.
Psal. 83.
1. Cor. 4.

Incarnatio. Aduentus Domini.

1. *Incarnatio siue aduentus Christi in carne dupliciter sumitur.*
2. *Incarnatio Christi dicitur Sacramentum magnum.*
3. *In Incarnatione multipliciter apparuit gratia Saluatoris.*

Aduentus Domini. *Matth. 13 & 20.* *Joan 16.* *Heb. 1.*

1. ADuentus siue Incarnatio Christi in scriptura sumitur dupliciter. Primò enim dicitur exitus, *Exijt qui seminat*; *exijt primo mane.* Et; *Exiui à Patre & veni in mundum.* Secundo modo dicitur introitus. Sic Apost. *Et iterum dum introducit primogenitum in orbem terræ.* Et benè assumptio carnis, exitus & introitus dicitur: Eramus enim foris à Deo, extra regales epulas, in vinculis ligati. Qui enim voluerit istis veniam impetrare, non primùm ipsos in aulam regis introducit, sed ipse foras egreditur, ibique cum eis loquitur, vsque dum eos correctos reddat & dignos efficiat quo regis vultui præsentari mereantur; Sic Christus effecit. Egressus quippe ad nos, carnem sumens colloquutus est nobiscum, & præcepta regis Patris æterni nota fecit, & sic nos à peccatis mundans, ad Deum rediens, nos in aulam regalem, velut mediator optimus introduxit: Ideò exitus & introitus vocatur carnis suæ aduentus.

Incarnatio Sacramentum magnum *1. Tim. 4.*

2. Dicitur autem *Sacramentum magnum*, Incarnatio Christi ab Apostolo, secundùm quadruplicem dimensionem; primò secundum altitudinem, quia pertingit ad cœlum. 2. Secundùm profunditatem, quia penetrat Abyssum. 3. Secundùm latitudinem, quia replet orbem terræ. 4. Tandem secundùm longitudinem quia permanet in æternum: *Quia potestas eius potestas æterna,* &c. *Dan. 7.*

3. Apparuit autem gratia Dei toti generi humano multipliciter. Primò quia suscepit carnem nostram: nam *Verbum caro factum est*. 2. Quia experiri voluit miseriam nostram. 3. Quia *in sanguine suo lauit* culpam nostram. 4. Quia portauit pœnam nostram; *disciplina enim pacis nostræ super eum*. 5. Quia docuit ignorantiam nostram. *Aperiens enim os suum docebat eos*. 6. Quia attulit nobis gratiam diuinam, quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Tandem 7. Quia præparauit nobis gloriam, & locum in domo Patris eius. Gratiæ collatio. *Ioan. 1.* *Apoc. 1.* *Esai. 53.* *Matth. 5.* *Ioan. 1.*

Infernus. *Vide* pœna. Hæreditas, Infirmitas.

Infirmitas corporalis septem bona facit, & septem confert vtilitates.

MVlta bona confert corporalis infirmitas. Nam Primò à præteritis peccatis occasionaliter sanat. *Liuor enim vulneris absterget mala*. 2. A futuris præseruat: *Infirmitas grauis sobriam reddit animam*. 3. Carnem domat & spiritum roborat: *Cùm enim infirmor, tunc potens sum*, inquit Apostolus. 4. Hominem humiliat. Patet in Antiocho, & alijs. 5. Contemptum Infirmitatis bona. *Prou. 20.* *Eccli 31.* *2 Cor. 12.*

Iob. 10. mundi huius generat; *tadet animam meam vita mea.* 6. Iter ad Deum accelerat: *multiplicata sunt infirmitates eorum, posteà acceleraverunt.* Tandem 7. Diuini amoris
Psal. 15.
Hebr. 12. signum præstat; *Pater enim* non alium, *sed proprium filium flagellat.* Quàm vtilis verò sit animæ nostræ corporalis infirmitas, vel ex eo patet, quòd culpa quæ infirmitas est animæ, reddit aut facit eã somnolentam, debilem, vilem, abominabilẽ, odibilem, & superfluam; At infirmitas corporalis huiusmodi defectibus medelam confert: nam excitat primò animam somnolentam, vt resurgat, per pœnitentiam; erudit fatuam, vt benè eligat; fortificat debilem; *cùm enim infirmor*; inquit
2. Cor. 12. Apostolus, *tunc fortior sum.* Honorificat vilem in appetendo; honor enim est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. *Virtus* autem *in infirmitate perficitur.* Gratificat abominabilem, quia humiliat superbum, & sic superbum abominabilem, gratum reddit humilitate: pacificat odibilem, quia in infirmitate condonat homo homini, pacificaturque inde Deus ipse. Tandem restringit superflua: nam infirmitas, vt dictum est. *sobriam reddit animam.*

Inimici.

Inimici diligendi & quomodo.

Dilectio inimicorum. INimicis beneuolentia præstanda est, & iuxta præceptum Domini diligendi.

Primò eorum conuerſionem procurando: *Matth 5.*
nam ſic *inimicos induet confuſione*, eos di- *Pſal 131.*
ligendo. 2. Pro eis orando; ſic enim Chri-
ſtus fecit: *Pater ignoſce illis*. 3. Occaſiones *Luc. 23.*
offenſæ præcauendo, per beneficentiam;
ſic Chriſtus ſanauit hydropicum. 4. Eorum
moleſtias fortiter per fortitudinem pa-
tiendo. 5. manſuetè loquendo; *reſponſio* *Prou. 15.*
enim mollis frangit iram. 6. Neceſſaria mi-
niſtrando; ſic *carbones congeres* amoris *Rom. 12.*
ſuper caput eius. 7. Malis eorum condo-
lendo, per miſericordiam; hinc Salomon,
Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. *Prou. 24.*
Tandem 8. pœnitentibus indulgendo di-
mittere debemus vt dimittamur, ideò di-
cimus; *dimitte nobis debita noſtra.* *Matth. 6.*

Intentio. *Vide* Sancti.

Inuidia.

Inuidia quid ſit, & quæ eius mala.

INuidia ſecundùm Auguſt. eſt odium fe- *Inuidia*
licitatis alienæ, & triſtitia de bonis alie- *quid.*
nis: quia non poteſt videre bonum alte-
rius. Maximè nocet inuidia. 1. Quia de lu- *Inuidiæ*
mine cæcat, ſicut noctua & veſpertilio. *mala.*
2. De vita moritur. 3. Deo contrariatur,
qui tam bonus eſt, vt de malis bona eli-
ciat; iſte verò tam malus, vt de bono ma-
lum fingat & eliciat. Et ſicut bonis omnia,
etiam mala cooperantur in bonum: ſic in-

uidis bona omnia cooperantur in malum. Inuidus aurum conuertit in cuprum, gemmas in lutum, granum in paleam, vinum in aquam, mel in fel, diem in noctem, gaudium in mœrorem, balsamum in stercus, electuarium in venenum. 4. Authorem suum lædit & rodit. 5. Tandem ad instar Iudæ, osculo prodit.

Ira, Iracundia. Iniuriarum remissio.

Quid sit ira, & quomodo noceat.

Ira quid. IRA, quæ nihil aliud est, quàm vlciscendi libido, & animi concitatio ad pœnam infligendam, Duplex habet esse; Primò naturæ, & sic est passio quædam vehemẽs, & in quantum est pura passio, non habet rationem peccati, at prout deordinat ab optimo bono, habet esse morale, & sic est vitium; vult enim iratus expetere vindictam ex se, quam tamen non debet expetere nisi à Deo, vel à iudice à Deo constituto. Debet autem quilibet remittere iurianti se, rancoris affectum, & rancoris signum in effectu. At non actionem contra iniuriantem. Non tenetur autem qui iniuriam passus est, amicitiam quærere de necessitate salutis. Quòd si fecerit, (quod est perfectorum) duplicem obtinebit coronã; vnam, quia patiẽter iniuriam passus est: alteram, quia prior rogauit. Gra-

dus iræ posuit Dominus in Euangelio, in primo est ira tantum, in secundo ira & sermo, in tertio ira & vox & irrisio expressa. Non debemus autem læsi reddere malum pro malo. Hoc enim est fragilitatis sicut Ioab occidendo Abner interfectorem fratris sui Asaël. Neque reddere malum pro bono; hoc enim est peruersitatis, prout fecit Iudas occidẽdo Christũ; sed vt perfecti filij Patris nostri reddere potius bonum pro malo, sicut Stephanus qui pro inimicis rogauit. Ira autem nocet omni bono. Primò naturæ, quia zelus & iracundia minuunt dies. 2. Substãtiæ in litibus; *ira & obiurgatio annullabit substantiã* 3. Gratiæ, quia *vir iracundus prouocat rixas*, quæ tollunt charitatem. Tandem. 4. Gloriæ, quia *omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*

Gradus iræ. *Matth. 5.* Iræ mala. *Eccli. 30.* *Ibid.* *Matth. 5.*

Iudicium, Iudicia.

1. *Quadruplex est Dei iudicium.*
2. *Iudicium extremum quatuor habebit conditiones, & comparatur furi.*
3. *Iudicij diuini terribilis expectatio.*
4. *Iudicium extremum habebit quadam antecedentia, concomitantia, & subsequentia.*
5. *Iudicium quo iudicatur mundus multiplex.*
6. *Iudicabit Dominus iustè & fideliter.*
7. *Iudicium Dei timendum.*
8. *Iudicium reprehensibile iudicare de se & temerarium.*

9. *Iudicio cur inuicem non contendendum aut litigandum.*

10. *Iudicandi non sunt actus & secreta Dei à nobis.*

Iudicium Dei. 1. IVdicium Dei est quadruplex. Primum est dispositionis, & est incomprehen-
Rom. 11. sibile, vt dicit Apost. *O altitudo*, &c. 2. Exa-
Iob. 31. minis, quod est terribile. Ideò Iob: *Quid faciam cùm surrexerit ad iudicandum me*
1. Cor. 11. *Dominus?* 3. Condemnationis, quod est miserabile: *Iudicium enim sibi manducat*
Dan. 7. *& bibit.* 4. Tandem, disceptationis, quod erit memorabile quando *Iudicium sedebit & libri aperientur.*

Iudicium extremū quale. 2. Erit dies iudicij primò sine præuidentia, antequàm venerit, quia erit repentinus. 2. Sine resistentia, quia cū voluerit veniet. 3. Sine tolerantia, quando venerit, quia veniet sicut dolor in vtero habentis. 4. Sine fuga, quia postquàm venerit, nemo effugiet. Et quia quatuor sunt quæ Deus homini ignota esse voluit. Scilicet status proprius, alterius cōscientia, dies mortis, maximè tamen dies iudicij, vt propter primū non præsumamus, de secundo non iudicemus, tertium timeamus, & ad quartum vi-
Matth. 25 gilemus: *Quia nescimus diem neque horam.* Quapropter dies iudicij furi meritò
1. Thess. 5 comparatur ab Apostolo: *Dies Domini veniet sicut fur in nocte.* Et quidem primò, propter lentum incessum: vnde Apocal.
Cap. 15. *Ecce venio sicut fur*, 2. Propter improuisum aduentū, quia nescitur quādo venturū est.

3. Propter terribilem ingressum. Per fenestras enim intrabit vt fur. 4. Propter tempus obscurum: *Omnis enim, qui malè agit, odit lucem.* 5. Propter effusionem occultorum, quia Dominus *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* 6. Propter spoliationem incautorum. Subitò enim superueniet repentina ira Dei. *Ioel. 2.* *Ioan. 3.* *1. Cor. 4.*

3. Erit autem istius Iudicij etiam in iis qui ad illum vigilauerunt terribilis expectatio. Primò propter signorum horrorem. 2. Propter ignis præcedentis inflammationem; *ignis enim ante ipsum præcedet.* 3. Propter diei impræuisionem. 4. Propter iudicis aduentum terribilem. *Terribilis* est *qui aufert spiritum Principum.* 5. Propter comparendi necessitatem. *Omnes enim nos manifestari oportet.* 6. Propter omnium actuum denudationem; *Manifestabit enim consilia cordium.* 7. Propter iudicij districtionem, quia erit sine misericordia. 8. Propter sententię exequutionem celerem, *Ite maledicti.* Tandem nonò propter sententiæ irreuocabilitatem. Iudicij extremi terror. *Psal. 96.* *Psal. 75.* *Corin. 5.* *1. Cor. 4.* *Matth. 25.*

4. Antecedent hoc Iudicium 1. Mirabilia signa. *Sol obscurabitur, &c.* 2. Damnabilis reuelatio Antichristi. Sic Apost. *Tunc reuelabitur ille iniquus.* 3. Terribilis conflagratio Mundi: *Elementa enim calore soluentur.* Quartò generalis resurrectio generis humani. *Omnes*, inquit Apostolus, *resurgemus.* Comitabuntur verò, Iudicis Præcedentia Iudicium. *1. Pet. 4.* *1. Cor. 15.* Comitantia.

Luc. 21. Exhibitio. *Videbunt enim tunc filium hominis venientem cum potestate magna, & maiestate.* 2. Malorum exprobratio: *tunc* Psal. 2. enim *loquetur ad eos in ira sua.* 3. Bono- Sap. 5. rum exultatio; *stabunt* enim *iusti in magna constantia.* Et 4. sententiæ irreuocabilis Subse- prolatio; *tunc dicet Rex*, &c. Subsequen- quentia. tur autem Iudicium Primò, malorum à Luc. 21. bonis diuisio, quia *tunc erunt duo in agro, & vnus assumetur*, &c. 2. Cuiuslibet rei in suo fine status. 3. Bonorum exultatio in Esa. 6. cœlo, *qui tunc videbunt & affluent, & mirabitur & dilatabitur cor iustorum.* Tandem Mich. 3. malorum in Inferno depressio: *Tunc inuo-* Prou. 1. *cabunt, & non exaudiet Dominus.*

Qualitas iudicij. 6. Iudicium quo mundus tunc iudicabitur, erit, Primò, Iudicium principalis Authoritatis, quo iudicabit tota Trinitas. 2. Diffinitionis & prolationis sententiæ, quo iudicabit Christus homo. 3. Assesso- Sap. 3. riæ dignitatis, quo iudicabunt Sancti: *Nam illi iudicabunt nationes.* 4. Iudicium comparationis, quo iudicabunt imperfecti & aliqui minus mali, dicente Christo: *Viri Niniuitæ surgent in Iudicio.* 5. Iudicium discertationis, quo Iudicabunt fideles imperfecti. 6. Iudicium remunerationis, quo Ecclef. iudicabuntur omnes boni & mali. *Cuncta* vlt. enim, *quæ fiunt adducet Dominus ad Iudicium*. Tandem 7. Iudicium dispositionis, Ioan. 3. quo iudicati sunt increduli; *qui enim non credit, iam iudicatus est.*

Modus iudicandi. 7. Iudicabit autem Dominus Euidenter,

quia ad testimonia conscientiarum. 2. Fideliter secundùm exigentiam meritorum. *Daniel 7.*
3. Congruenter, quia *iustitias iudicabit.* *Psal. 76.*
4. Personaliter, quia *pater dedit omne Iudicium filio.* 5. Generaliter, quia etiam occulta hominum. *Ioan. 5.*

7. Ex antedictis constat, hoc Iudicium esse timendum. Primò, quia iustitia non fallitur: *Ipse* enim *nouit decipientem & qui decipitur.* 2. Quia potentiâ non frangitur, nec terretur: *Non* enim *veretur magnitudinem cuiusquam.* 3. Quia precio non corrumpitur; *non* enim *suscipiet dona plurima.* 4. Quia prece non flectitur: *Porrò triumphator in Israel non parcet, & pænitudine non flectetur.* 5. Quia ex dilatione nullius obliuiscitur: *Ipse* enim *scrutatur renes & corda.* Iudicium cur timendũ. *Iob. 12.* *Sap. 6.* *Prou. 6.* *1. Reg. 15.* *Hier. 17.*

8. Iudicium reprehensibile & temerarium est, Iudicare Primò de occultis. 2. De dubijs. 3. De soli Deo notis. 4. A parte contrarij. 5. De impertinentibus. 6. De consimilibus. 7. De futuris contingentibus. Hinc Apostolus, *Quis es tu, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, & cadit.* Iudicium temerarium. *Rom. 14.*

9. Multò minus si fieri potest, cum nemine in Iudicio per litem contendendũ est; Primò ad conseruandum honorem nostrum. Est enim honor homini, qui se separat à contentionibus. 2. Propter maioris boni impedimentũ, id est, pacis & cõcordię. Ideò Christus, *Si quis vult tecum contendere in* Contentio fugienda. *Prou. 20.* *Matt. 5.*

iudicio, & tollere tunicam, dimitte ei & pallium. 3. Propter periculum iurgiorum.
Eccli. 8. Ideò Sapiens: *Ne contendas cum viro locuplete, ne fortè constituat litem tibi*. 4. Propter fallaciam aduocatorum. De quibus
Psal. 51. Psal. *Tota die Iniustitiam cogitauit lingua tua*. 5. Propter auaritiam iudicum. Hinc Propheta, *Principes tui infideles, socij furum,*
Esa. 1. *omnes diligunt munera*. 6. Propter multiplicationem vitiorum. *Quod iustum est iu-*
Iob. 6. *dicate*, dicebat Iob, & *non inuenietis in lingua mea iniquitatem*. Tandem 7. Propter nimiam sollicitudinem & angustiam ani-
Esaia 10. marum. Hinc Dominus per Prophetam, *Ferietis fœdus cum mendacio, germinabit quasi amaritudo iudicium*.

Inscrutabilia Dei. 10. Actus autem & secreta Dei nullo modo sunt à nobis iudicanda. Sunt enim opera Dei tam alta & profunda, quòd nemo potest ea mente consequi, cùm ne minima eius opera possimus comprehendere. Omnes enim sapientes Mundi nesciunt dare rationem, cur granum milij sit rotundum, & hordei sit oblongum. Vnde meri-
4. Esdr. 4 tò Angelus dixit ad Esdram: *Vade pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem, quæ præteriit*. Et iterum: *Si essem interrogans te, quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ in principio abyssi, aut quantæ sunt supra firmamentum; responderes: In abyssum non descendi, neque in infernum adhuc; neque in cælum vnquam ascendi*.

cendi. Tunc autem non interrogaui te nisi de igne & vento & die, per quem transisti, & à quibus separari non potes, & non respondisti mihi. 2. Propter mentis nostræ imbecillitatem, quæ concupiscentiâ obnubilata rectitudinem diuinorum actuum non percipit. Est enim amor proprius, qui, quia non contingunt omnia prout vellet, sæpè dicit bonum malum, & malum bonum. 3. Quia Dei voluntatem, quæ recti iustique tenax est, non agnoscimus esse regulam omnis operationis, ideò Psal. *Iustus es Domine, & rectum Iudicium tuum.* *Psal. 118.* Si ergo voluntas Dei est regula iustitiæ, quis, etsi non possit inuenire operum Dei rationem, non dicet cum Propheta, *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti?* *Dan. 3.* &c.

Iugum.

Multiplex est Iugum & quomodo ad illud sese habere oporteat.

MVltiplex iugum inuenitur in scriptura. Primum est legis Masaicæ, *Iugum multiplex.* quod iam est depositum: hinc Apost. *Nolite iterum iugo seruitutis contineri.* *Gal. 5.* 2. Perfectionis Euangelicæ, quod est voluntariè deferendum: *Tollite,* inquit Christus *Iugum meum super vos.* *Matt. 11.* 3. Præsentis miseriæ, quod est, sustinendum, quia domat carnis lasciuiã: Et de hoc iugo loquitur Sapiens. *Eccli. 40.*

4. Austeritatis & superbiæ, quod est moderandum in rectoribus, ne subditum faciant fugitiuum: Sic Iugum Roboam. 5. Societatis iniquæ, quod est euitandum propter contagium; ideo Apostolus, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. 6. Cupiditatis & auaritiæ, quod est abhorrendum propter Diabolum, qui cum huiusmodi tanquam bouibus arat terram. 7. Est Iugum malæ linguæ, cuius jugum ferreum, & vinculum æreum est. 8. Est discipiinæ: vnde Sapiens, *Iugum & lorum curuant collum durum*, Carnalis scilicet voluptatis. Tandem 9. Est iugum damnationis æternæ, quod est summopere fugiendum: nam illud iugum cui semel imponetur, nunquam auferetur, *quia in inferno nulla est redemptio*.

2. Par. 10. 2. Cor. 7. Eccli. 33. Osea 2.

Iurare, Iuramentum.

1. *Causa iurandi aut iusiurandi qua?*
2. *Iuramentum fit reprehensibile ex octo.*

Iuramentum licitum.

1. ETsi Christus prohibuerit omnino iurare extra controuersiam, & sine necessitate, tamen iuramentum, quod comites habet tres, scilicet, veritatem, iudicium, & Iustitiã, actus est Religionis, quo Deus, qui prima Veritas est, colitur. Assumitur autem iuramentum, Primò pro pace ineunda, aut confirmanda: Sic *iurauit Laban & Iacob*. 2. Pro amicitia contrahenda,

Gen. 31.

aut confirmanda. Sic iurarunt *Isaac & Abimelech*. 3. Pro veritate adstruenda. Sic Apostolus iurauit, *Testis est mihi Deus*. 4. Pro calumnia vitanda, quia omnis controuersiæ finis est iuramentum; sic in principio litis iurant partes. 5. Pro fidelitate seruanda: Sic *iurarunt Filij Israel Dauidi in Hebron*. 6. Pro promissione confirmanda: Sic *Iephte quæsiuit Iuramentum à senioribus Israel*. 7. Pro infamia purganda: Sic iurabant Seniores ciuitatis iuxta quam *cadauer occisi hominis inueniebatur*. Octauò pro consuetudine approbata conseruanda. Ideo accepta lege, *Populus iurauit eam obseruare*.

Gen. 26. Rom. 1. Heb. 6. 2. Reg. 5. Iud. 11. Deut. 21. Exod. 30.

2. Fit autem iuramentum Reprehensibile si fiat libenter, id est, cum appetitu. Ideo Iacobus, *Ante omnia fratres, nolite iurare*. Deinde frequenter cum assiduitate: ideo Sapiens, *Iurationi non assuescat os tuum*. 3. Mendaciter, cum cognita & manifesta falsitate: Hinc Dominus, *Educam eum ad domum iurantis in nomine meo mendaciter*. 4. Si inutiliter, id est, pro nulla aut vtilitate aut necessitate, de quo Christus suprà. 5. Si fallaciter, id est, aliqua verborum arte: nam qui ironicè iurant, vt decipiant, Deus qui testis est conscientiæ, fraudem puniet. 6. Si præcipitanter, & sine delibliberatione, vt *Herodes puellæ saltanti*

Iuram, illicitum. Iacob. 5. Eccli. 23. Zach. 5. Matt. 5. Marc. 6.

iurauit enim ei, de quo posteà doluit. Tandem 7. Nequiter ex proteruia & liuore; sic *Iudæi deuouerunt se non manducaturos*, &c. *donec occidissent Paulum*. *Act. 23.*

Iustitia. Iustus.

1. *Iustitia triplex est, hominis, littera legalis, & Dei.*
2. *Vt homo sit iustus gratiâ Dei requiruntur octo.*

Iustitia triplex. 1. AD præsens quod attinet, triplex est iustitia. Prima est hominis, quæ ex se est, vt *pannus menstruata*. Et hæc est modica in virtute, quia *iustus vix saluabitur*. Eò quòd iustitia hominis non sufficit sine gratia. 2. Vana in intentione, quia *iustitias iudicabit Dominus*. 3. Nulla in comparatione Dei; *non* enim *iustificabitur homo compositus Deo*. Secunda est litteræ legalis. Et hæc est infirma, quia gratiam non conferebat. *Nam Israel sectando legem iustitiæ, in legem Iustitiæ*, id est, gratiæ, *nõ peruenit*. 2. Diminuta respectu perfectionis Euangelicæ, à qua deficit. Ideo Christus; *Nisi abundauerit iustitia*, &c. 3. Imperfecta respectu gloriæ, ad quam non perduxit lex; *Nihil* enim *ad perfectum adduxit lex*. Tertia est, Iustitia Dei, & hæc in multis consistit.

[Margin: Hominis. *Esai. 64.* *1. Pet. 4.* *Psal. 74.* *Iob. 24.* Litteræ legalis. *Rom. 9.* *Matt. 9.* *Heb. 7.* Dei. In quo consistat.]

2. Nam ad hoc, quòd homo ex gratia sit iustus apud Deum, debet habere mor-

tificationem carnis: nam gratia iustitiæ *est cingulum lumborum iusti*. 2. Virtutem perfectæ humilitatis: Nam illa vocatur *omnis Iustitia à Christo*. 3. Sanctitatem conuersationis exterioris: Sic *iustus erat Simeon & timoratus*. 4. Puritatem conscientiæ interioris. 5. Zelum & æmulationem rectitudinis & veritatis: nam pro *Iustitia agonizandum, & vsque ad mortem certandum*, dicit Sapiens. 6. Inflexibilem constantiam mentis: *Non* enim *contristat iustum quidquid acciderit ei*. 7. Confidentiam securitatis: nam *iustus quasi Leo confidens absque terrore erit*. Octauò propositum perseuerantiæ finalis: *Stare enim debet in iustitia & perseuerare in ea*.

Esai. 11. Matth. 3. Luc. 2. Eccli. 4. Prou. 12. Prou. 28. Prou. 3.

Lac.

Lac habet candorem, liquorem & saporem, & quid significant.

MOralem significationem habet lac in sacris litteris. Nam ex qualitatibus eius colliguntur doctrinæ aliquot. Habet enim lac primò liquorẽ. In liquore autem videmus primò simplicitatem, & significat fidem simplicem; ideo Apost. *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite*. Deinde habet fluiditatem; & significat eruditionis facilitatem. Ideo Apost. *Tanquam paruulis lac vobis potum dedi*. 3. Habet conuertibilitatem, & significat

Lac quid significat. 1. Pet. 2. 1. Cor. 3.

temporalem prosperitatem: hinc Prophe-
Esai. 60. ta, *Suges lac gentium & mamillā Regum*, &c.
Habet lac 2. Candorem in quo tria habet. Primò nitorem, & significat honestam conuersationem segregatam à mundanis. 2. Disgregationem visus, & significat auocationem mentis à rebus secularibus. 3. Lætificationem, & significat diuinam consolationem. 4. Habet saporem dulcem, in quo etiam tria habet. 1. Calorem, & significat misericordiam & charitatem erga proximum. 2. Habet dulcedinem, & significat internam mentis dulcedinem ex medita-
Ioel. 3. tione diuinæ bonitatis. Hinc Proph. *In illa die stillabunt montes dulcedinem*, &c. 3. Re-
Exod. 3. fectionem: vnde *promisit Dominus Israeli terram fluentem lacte & melle.*

Lachryma. Filius. *Vide* Voluntas Dei.

Lachryma diuersam habent causam.

Lachrymæ vnde. Lachrymari contingit quandoque. 1. Ex naturali affectu; vt patet in Io-
Gen. 44. seph: *Commota quippe erant omnia viscera eius.* Quandoque ex gratuita dilectione.
Ioan. 12. Sic *lachrymatus est Iesus* super Lazaro defuncto. 3. Quandoque ex amara compun-
Psal. 6. ctione: sic David Rex *lachrymis stratum suum rigabat*: & Magdalena *lachrymis cæ-*
Luc. 7. *pit rigare pedes Iesu.* 4. Quandoque ex in-

terna deuotione: sic Dauid, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*. 5. Quandoque ex temporali afflictione, de qua Hieremias, *Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius*. Sic Christus *cum clamore valido & lachrymis* in Passione orauit. 7. Quandoque ex pietate humana; sic impius Antiochus audita cæde optimi pontificis Oniæ, *flexus ad misericordiam, lachrymas fudit*. 7. Ex compassione diuina; sic Christus fleuit super ciuitatem. 8. Quandoque ex erubescentia multa. Sic fleuit Sara filia Raguelis propter improperium, ex quo confusa, *lachrymis deprecabatur Deum*. 9. Quandoque tandem ex necessitate magna: Sic plorauit Machabæus, *Orans Dominum, vt bonum Angelum mitteret*; Et Iudith *ante lectum Holofernis orauit cum lachrymis*.

Psal. 41. *Tren. 1.* *Heb. 5.* *2. Mach. 4.* *Luc. 19.* *Tob. 3.* *2. Mach. 11.* *Cap. 13.*

Laudare Deum. *Vide* Gratiarum Actio. *Vide* Deus.

Laudantur homines propter quinque. Ex quibus Deus laudari debet.

INter homines laudantur Artifex subtilis, Diues humilis, Pugil fortis, medicus discretus, & mercator fidelis. Ex quibus veluti quinque locis, lau-

Laus hominum vnde.

Laus Dei. dare debemus Deum. Est enim primò artifex fidelis, in creatione. 2. Diues humilis, in Natiuitate. Tunc enim *simul in vnum* Psal. 48. *diues & pauper*. 3. Quia pugil fortis in passione, in qua aditum ad regnum per victoriam recuperauit. 4. Quia medicus discretus in iustificatione. Tandem 5. Quia mercator fidelis in remuneratione, qui nummo bonæ voluntatis & opere aquæ frigidæ, interminabilem vendit gloriam sine fine.

Lex.

1. *Lex accipitur sex modis.*
2. *In lege quatuor genera præceptorum, quæ omnia in dilectione continentur.*
3. *Lex cur posita.*
4. *Lex commendabilis à partibus sui, & quæ hæ partes.*
5. *Lex operatur iram multis modis.*
6. *Legalia vocantur vmbra, & quare.*

Lex quid significet. 1. HÆc vox, Lex, non accipitur vno modo in scriptura. Accipitur enim Primò pro scriptura veteris Testamenti: Ioan. 15. Sic dixit Christus, *vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis*. 2. Pro quinque libris Ioan. 7. Moysi. Sic iterum Saluator, *Nonne Moyses dedit vobis legem?* 3. Pro Decalogo scripto Rom. 13. in tabulis, digito Dei. Ideo Apost. *Qui diligit proximum, legem impleuit*. 4. Pro manda-

mandatis cæremonialibus, idque Apost. *Vmbram habens lex futurorum.* 5. Pro littera legis, cum intelligẽtia spirituali: *Mandatum*, inquit Salomon, *lucerna est, & lux in testa.* 6. Pro aliqua obseruantia speciali: ideò dicitur, *Hac est lex Hostiæ pacificorum.* Heb. 9. Prou. 6. Leuit. 7.

2. Continebat lex Moysis quatuor genera pręceptorum, quæ tamen omnia ad præceptum dilectionis reducuntur; scilicet Moralia, in quibus dilectio præcipitur: Cæremonialia, in quibus figuratur: Iudicialia, per quæ conseruatur; & Præcepta disciplinæ, per quæ exponitur. Contenta in lege Moysis.

3. Causæ datæ legis plures colliguntur ex sacris litteris. Prima omnium fuit propter superborum humiliationem; ideo à D. Petro *Onus* dicitur. 2. Propter rebellium & duræ ceruicis hominum flagellationem. 3. Propter rudium & insipientium eruditionẽ, ideo vocauit eam Apost. *Pædagogum.* 4. Propter delictorum ostensionem, nam vt rectè Apostolus, peccatum erat, sed non agnoscebatur. *Venit lex*, & ostendit homines peccare. 5. Propter humanæ infirmitatis ostensionem, & gratiæ significationem. Nam lex ostendebat peccatum, & significabat futuram gratiam, quam non dabat. 6. Propter futurorum significationem. Ideo Apost. vocat eam *Vmbram.* 7. Propter idololatriæ prohibitionem; ideo dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.* 8. Tandem propter populi Iudæorum ab aliis gentibus distin- Cur lex data. Act. 15. Gal. 3. Rom. 7. Heb. 10. Deut. 6.

Ps. 147. ctionem. *Non* enim *fecit taliter omni nationi*.

Commẽdatio legis. 4. Commendatur autem lex Dei 1. A veritate; quia habet testimonia veritatis. 2. Ab honestate, quia habet mandata honestatis. 3. A rectitudine, quia habet iudicia æquitatis. 4. A sanctitate, quia habet exẽpla sanctitatis. 5. A bonitate, quia habet promissa remunerationis, quæ omnia

Ps. 118. Propheta vno Psalmo complexus est.

Lex iram operatur. 5. Etsi autem lex multùm in prædictis commendetur, tamen indirectè iram operatur, indirectè scilicet pœnam minitando, & occasionaliter culpam augendo, iuxta illud, *Nitimur in vetitum cupimusque negata*. Facit hoc multis modis. Primò terribiliter comminando, vt patet Leuit. 2.

Cap. 20. Exod. 21. Grauiter puniendo: nam *oculum pro oculo, dentem pro dente; & animam pro anima*

Heb. 10. exigit. 3. Nemini parcendo: nam *irritam quis faciens legem*, &c. 4. Concupiscentiam per prohibitionem occasionaliter exci-

Rom. 7. tando: *Peccatum enim*, inquit Apost. *per mandatum reuixit*. 5. Præcepta & prohibitiones multiplicando: ideo D. Petrus

Act. 13. dixit, *hoc onus neque Patres*, neque Apostolos potuisse portare. Sextò, peccato præuaricationem addendo, ideo Apost,

Rom. 4. *Vbi non est lex neque præuaricatio*. Septimo tandem Diabolum quadammodo magis ad tentandum prouocando: Diabolus enim per legem contemptus, maiori ira tentat.

6. Comparatur autem lex vetus vmbræ iuxta illud, *vmbram habens lex futurorum bonorum*, quia vmbra primò oritur ex defectu radiorum solarium; tempore legis non erat ortus sol iustitiæ, sed oriturus erat. De quo ortu Propheta, *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. 2. Quia vmbra noctis operit malos & flagitiosos: sic lex obscuritatem habuit cognitionis Dei & virtutis; vnde ad omnia peccata defluebant. Hinc Apost. *Conclusit scriptura omnia sub peccato*. 3. Quia vmbra præstat refrigerium: sic in lege omnia frigebant, quoad opera meritoria. 4. Quia vmbra indistinctè figurat corpora: sic lex obscurè satis obumbrabat mysteria incarnationis filij Dei: *Finis enim legis Christus est*, inquit Apost. *in salutem omni credenti*. 5. Vmbra est causa terroris paruulorum. Sic lex pueros & imperfectos timore coercebat. 6. Quia deceptiua est oculorum debilium: sic lex gloriantes de legis operibus fallebat: nam vt rectè Apostolus, *Ex operibus legis* (sine gratia subintellige) *non iustificabitur omnis homo*. Tandem 7. Quia mobilis est ad transitum: nam vmbram noctis sequitur aurora, deinde dies: sic lex durauit à Moyse ad Christum, qui radiis fidei & gratiæ, diem sanctificationis generis humani illucescere fecit.

Lex vmbra. *Heb. 10.*

Esai. 9.

Rom. 10.

Liber. *Vide* Scriptura

Loqui. *Vide* Christus, Sermo.

1. *Loquitur nobis Deus multipliciter.*
2. *Homines pessimi & detractores pessimè sapè loquuntur.*
3. *Detractionis quàm graue vitium.*

DEVS quomodo se manifestat. 1. DOminus nobis multiplici loquela voluntatem suam manifestat. Primò per apparitiones Angelorum, vt patet *Apoc. 1.* Apocalyp. Sic *Angelus venit ad locum flentium.* *Iud. 1.* Et *Angelus Domini apparuit Manue.* 2. *Iud. 7.* Per imaginationes somniorum: Sic Dominus, *Num. 12.* *Per somnium loquar ad illos.* 3. Per formationes sonorum: *Exod. 20.* hinc Moyses, *Vos audiuistis quòd de Cælo loquutus sit vobis Dominus.* 4. Per inspirationes reuelationum: *2. Reg. 24.* Sic *Spiritus Domini loquutus est per Dauid.* 5. Per verba Doctorum, *non* enim, inquit Christus, *Math. 10.* *vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri.* 6. Per nutus creaturarum: *Psal. 18.* *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei.* Tandem septimò per immissionem cogitationum.

Malè loquentes. 2. Peccatores & loquaces sæpe loquuntur, & quidem nimium; sed primò falsa, de quibus Propheta, *Psal. 57.* *Errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa*; sed Deus *Psal. 5.* *perdet omnes loquentes mendacium.* 2. Loquuntur sæpe aduersus Iustum iniquitatem & iniqua.

Superbia & abusu. Sed Deus *Obstruet os loquentium iniqua.* 3. Loquuntur aspera, sicut fratres Ioseph, *nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* 4. Loquuntur vana, de quibus dicitur, *Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde loquuti sunt.* Quintò loquuntur perniciosa, famam proximi denigrando, & occulta peccata manifestando, per publicam diffamationem, aut verba scandalosa aut blasphemias proferendo. 6. Loquuntur de minimis, idest, de terrenis, *quia ex abundantia cordis os loquitur:* Ideò optimè Saluator, *Qui de terra est, de terra loquitur.* 7. Sæpe loquuntur dolosa, blandè scilicet coràm, & à retro pessima & mala, de quibus Propheta, *Quid detur aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* & paulò antè, *Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa.*

Psal. 61. *Gen. 36.* *Ioan. 3.* *Psal. 119.*

3. Detractionis prauissimum esse peccatum vel ex eo constat quòd dicunt Doctores, quòd tertia pars hominum ex eo damnabitur. Est enim *Draco* ille, *qui caudâ suâ tertiam partem stellarum traxit de cælo*; eò quòd voratores sunt carnium & sanguinis proximi. Nec vnquam debita fit restitutio ablatæ famæ, immò moraliter loquendo vix fieri potest. 2. Constat ex eo, quòd præter innumeras alias scripturas, quibus detractionis vitium vituperatur, & in detractores pœnas decernit, Apostolus dicat, *detractores esse Deo odibiles*, in signum

Detractio quid. *Apoc. 12.* *Rom. 1.*

illuminabit te Christus. Ad bonum verò illuminat, Primò præcones verbi ad illuminationem dicendorum. 2. Obedientes ad honestatem mornm. 3. Perseuerantes vt perueniant ad regnum; tales *deducit in nube diei & tota nocte in illuminatione ignis.* 2. Illuminatio causat in beatis tria, securitatem scilicet sine metu, iucunditatem sine fletu, & Æternitatem sine defectu, & de his dicitur, *Dominus Deus illuminabit eos, & regnabunt in secula seculorum.* 3 Illuminatio erit terribilis: nam illuminabit corda, conscientias, & malorum peccata, quamuis occultissima.

Psal. 77.

Apoc. 22.

2. Accepimus verò à Deo & Christo: Primò lumen naturalis intelligentiæ, quia *signatum est super nos lumen vultus Dei.* Deinde lumen sapientiæ; nam ignorantiam nostram illuminat, vt eius bonitatem agnoscamus. 3. Lumen gratiæ quo illuminat tenebras noctis huius. 4. Lumen vitæ, de quo dicitur, *& vita erat lux hominum.* 5. Lumen lætitiæ & gaudij cordis, *lux enim orta est iustis & rectis corde lætitia.* Tandem 6. Lumen gloriæ, *cuius lucerna est agnus.*

A Christo.

Psal. 4.

Eccli. 51.

Ioan. 1.

Psal. 96.

Apoc. 21.

Luxuria.

Quanta grauitas huius peccati, & quantùm noceat. Apoc. 21.

Grauitas peccati huius satis patet ex sacris litteris: nam propter illud *periit*

Luxuriæ mala.

Gen. 1. *totum genus humanum diluuio.* Ciuitates
Ibid. 19. *Sodoma & Gomorrha cælesti igne extincta*
Ibid. 24. *sunt, & Zichemitæ perierunt in ore gladij,* & Rex Dauid à proprio filio fugatus tribus mensibus priuatus fuit regno, & Salomon amabilis Domino propter hoc peccatum lapsus est in idololatriam; ita quòd nec humanæ vires, nec sanctitas, nec sapientia superare valeat hoc vitium, quod est ex desiderijs carnis veniens, lubrica mentis & carnis prostitutio. De speciebus nihil dico, quia raró inter concionandum de istis fit sermo, præterquàm de fornicatione & adulterio, reliquæ ex Doctoribus petantur. Nocet autem hoc peccatum multipliciter. Est enim primò Deo contumeliosum, quia Templum eius coinquinat. 2. Subiecto proprio nocet; nam qui fornicatur, in corpus suum peccat. Animam propriam, mentem infa-
Osea. 4. tuat, quia vinum & mulieres auferunt cor. Remedia autem huius peccati sunt, 1. Oc-
Eccli. 24. casiones fugere. Nam *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* 2. Mortis extrema cogitare. 3. De se non præsumere, quia cecidit Dauid sanctissimus & Salomon sapientissimus, Sampson fortissimus: quis ergo modò tutus erit? 4. Carnem domare Ieiuniis & abstinentiis, quia *hoc genus dæ-*
Marc. 9. *moniorum non ejicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Tandem tentationi in initio resistere.

Magistratus, potestas. *Vide* Prælatus.

Magistratibus & Superiori potestati septem debemus.

QVia iuxta Apostolum, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, voluit Deus vt maioribus & magistratibus exhibeamus; Primò subiectionem: ideò alius Apost. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis*. 2. Honorem: ideo idem, *Deum timete & Regem honorificate*. 3. Timorem & reuerentiam: nam *principes non sunt timori boni, sed mali operis*. 4. Fidelitatem, sic laudatus fuit Ethai à Dauide quod ostenderit *Fidem & fidelitatem*. 5. Tributorum solutionem: nam hoc ipse Christus & fecit, & iussit, *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Sextò obedientiæ promptitudinem: Sic Apost. *Obedite præpositis vestris, ipsi enim invigilant tanquam rationem reddituri, ne hoc faciant gementes, non enim expedit vobis*. Septimò orationum assiduitatē: hinc Apost. *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, &c. pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt*. Ipsi enim indigent omnium orationibus. Primò propter multiplicius negocium publicum, quia plura habent tractare. Ideo maius onus habent, de quibus dicitur: *Gigantes gemunt sub aquis*, id est, superiores sub regimine populi, *Aquæ enim multæ populi*

Rom. 13. Potestatibus obediendum.
1. Pet. 2.
Rom. 13.
2. Reg. 15.
Mat. 22.
Heb. 13.
Iob. 26.

Deut. 1. *puli multi.* Ideo etiam Moyses dicebat: *Non possum solus portare negotia vestra.* 2. Propter
1. Reg. ult. maius periculum, quia magis infestantur ab aduersario. Patet in Saül in quo totum pondus prælii versum fuit; & in Achab, in quem omnes Syrii iussu regis præliabantur.
4. Reg. 1. 3. Propter maius debitum subditorum, quorum negotia tractant. Tandem propter maius Ecclesiæ commodum, quia sub eorum vigilia & cura tranquillam & quietam vitam agimus. Quare stultè faciunt, qui publicè & coram subditis magistratus reprehendunt in particularibus abusibus: nam tunc populus gaudet, & in magistratum debacchatur, nisi fortè in iis peccarent, quæ sunt contra Deum, regem, & bonum Reipublicæ.

Mali. *Vide* Peccator.

Mandatum, Præceptum.

1. *Mandata Dei plures effectus operantur in anima.*
2. *Quibus rationibus mandata Dei obseruare debeamus.*

Mandatorũ Dei effectus. 1. MAndata Dei primò illuminant intellectum, quia lucerna pedibus nostris, si à mandatis Dei intelligimus cum
Psal. 118. Propheta. 2. Inflammant affectum; nihil. n. dulcius, quàm respicere in mandatis Dei,
Eccli. 9. quæ *desiderabilia* sunt, *& duciora super mel*
Psal. 18. *& fauum.* 3. A malis liberant, quia qui custodit præceptum, non experitur quid-

quàm mali. 4. In bono conseruant, quia *si volueris mandata seruare*, inquit Sapiens, *conseruabunt te.* 5. Adferunt sapientiam, quia *fons sapientiæ verbum Dei in excelsis*, &c. Sextò impetrant gratiam: sic Christus, *Seruate mandata mea, & ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis.* 7. Faciunt pacem cum Deo: hinc per Proph. Dominus, *Vtinam attendisses ad mandata mea, fuisset sicut lumen pax tua.* Tandem 8. Ad vitam introducunt, vt testatur Christus, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quare Dei mandata debemus habere in intellectu, & affectu, in memoria, in opere & in ore.

Eccli. 1. *Eccli. 15.* *Eccli 1.* *Ioan. 15.* *Esai. 48.* *Matt. 19.*

2. Seruanda autem sunt mandata: Primò ratione efficientis siue mandantis, qui est *Deus cui nemo resistere potest, sub quo curuantur, qui portant orbem.* 2. Quia terrent, propter præsentiam imperãtis, qui vbique præsens est. 3. Quia cogunt, propter potentiam punientis. Secundò, seruanda sunt ratione materiæ. 1. Quia sunt de rebus pretiosis & sanctis. 2. Quia Fidelia nihil admittentia mali. 3. Quia facilia, quia de dilectione: nihil enim facilius, quàm amare. Tertiò, seruanda sunt ratione formæ, quia communia omnibus, sine personarum acceptione; omnibus enim imponuntur, nemo est excusatus. 4. Quia patentia, & pauca: nam vt ait Apostolus, *qui diligit proximum legem impleuit.* Quintò tandem ratione finis, quia vtilia;

Cur seruanda. *Iob. 9.* *Rom 13.*

Laus Dei. dare debemus Deum. Est enim primò artifex fidelis, in creatione. 2. Diues humilis, in Natiuitate. Tunc enim *simul in vnum* Psal. 48. *diues & pauper.* 3. Quia pugil fortis in passione, in qua aditum ad regnum per victoriam recuperauit. 4. Quia medicus discretus in iustificatione. Tandem 5. Quia mercator fidelis in remuneratione, qui nummo bonæ voluntatis & opere aquæ frigidæ, interminabilem vendit gloriam sine fine.

Lex.

1. *Lex accipitur sex modis.*
2. *In lege quatuor genera præceptorum, quæ omnia in dilectione continentur.*
3. *Lex cur posita.*
4. *Lex commendabilis à partibus sui, & quæ hæ partes.*
5. *Lex operatur iram multis modis.*
6. *Legalia vocantur vmbra, & quare.*

Lex quid significet. 1. HÆc vox, Lex, non accipitur vno modo in scriptura. Accipitur enim Primò pro scriptura veteris Testamenti: Ioan. 15. Sic dixit Christus, *vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est* : *Quia odio habuerunt me gratis*. 2. Pro quinque libris Ioan. 7. Moysi. Sic iterum Saluator, *Nonne Moyses dedit vobis legem?* 3. Pro Decalogo scripto Rom. 13. in tabulis, digito Dei. Ideo Apost. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* 4. Pro manda-

mandatis cæremonialibus, idque Apost. *Vmbram habens lex futurorum.* 5. Pro littera legis, cum intelligẽtia spirituali: *Mandatum*, inquit Salomon, *lucerna est, & lux in testa*. 6. Pro aliqua obseruantia speciali: ideò dicitur, *Hac est lex Hostia pacificorum.* Heb. 9. Prou. 6. Leuit. 7.

2. Continebat lex Moysis quatuor genera præceptorum, quæ tamen omnia ad præceptum dilectionis reducuntur; scilicet Moralia, in quibus dilectio præcipitur: Cæremonialia, in quibus figuratur: Iudicialia, per quæ conseruatur; & Præcepta disciplinæ, per quæ exponitur. Contenta in lege Moysi.

3. Causæ datæ legis plures colliguntur ex sacris litteris. Prima omnium fuit propter superborum humiliationem; ideo à D. Petro *Onus* dicitur. 2. Propter rebellium & duræ ceruicis hominum flagellationem. 3. Propter rudium & insipientium eruditionẽ, ideo vocauit eam Apost. *Pædagogum*. 4. Propter delictorum ostensionem, nam vt rectè Apostolus, peccatum erat, sed non agnoscebatur. *Venit lex, & ostendit homines peccare.* 5. Propter humanæ infirmitatis ostensionem, & gratiæ significationem. Nam lexo stendebat peccatum, & significabat futuram gratiam, quam non dabat. 6. Propter futurorum significationem. Ideo Apost. vocat eam *Vmbram*. 7. Propter idololatriæ prohibitionem; ideo dicitur: *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est.* 8. Tandem propter populi Iudæorum ab aliis gentibus distin- Cur lex data. Act. 15. Gal. 3. Rom. 7. Heb. 10. Deut. 6.

Ps. 147. ctionem. *Non* enim *fecit taliter omni nationi.*

Commẽdatio legis. 4. Commendatur autem lex Dei 1. A veritate; quia habet testimonia veritatis. 2. Ab honestate, quia habet mandata honestatis. 3. A rectitudine, quia habet iudicia æquitatis. 4. A sanctitate, quia habet exẽpla sanctitatis. 5. A bonitate, quia habet promissa remunerationis, quæ omnia *Ps. 111.* Propheta vno Psalmo complexus est.

Lex iram operatur. 5. Etsi autem lex multùm in prædictis commendetur, tamen indirectè iram operatur, indirectè scilicet pœnam minitando, & occasionaliter culpam augendo, iuxta illud, *Nitimur in vetitum cupimusque negata.* Facit hoc multis modis. Primò terribiliter comminando, vt patet Leuit. 2. *Cap. 20.* *Exod. 21.* Grauiter puniendo: nam *oculum pro oculo, dentem pro dente; & animam pro anima* *Heb. 10.* exigit. 3. Nemini parcendo: nam *irritam quis faciens legem,* &c. 4. Concupiscentiam per prohibitionem occasionaliter exci- *Rom. 7.* tando: *Peccatum enim*, inquit Apost. *per mandatum reuixit.* 5. Præcepta & prohibitiones multiplicando: ideo D. Petrus *Act. 13.* dixit, *hoc onus neque Patres,* neque Apostolos potuisse portare. Sextò, peccato præuaricationem addendo, ideo Apost. *Rom. 4.* *Vbi non est lex neque preuaricatio.* Septimo tandem Diabolum quadammodo magis ad tentandum prouocando: Diabolus enim per legem contemptus, maiori ira tentat.

6. Comparatur autem lex vetus vmbræ iuxta illud, *vmbram habens lex futurorum bonorum*, quia vmbra primò oritur ex; defectu radiorum solarium; tempore legis non erat ortus sol iustitiæ, sed oriturus erat. De quo ortu Propheta, *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. 2. Quia vmbra noctis operit malos & flagitiosos: sic lex obscuritatem habuit cognitionis Dei & virtutis; vnde ad omnia peccata defluebant. Hinc Apost. *Conclusit scriptura omnia sub peccato*. 3. Quia vmbra præstat refrigerium: sic in lege omnia frigebant, quoad opera meritoria. 4. Quia vmbra indistinctè figurat corpora: sic lex obscurè satis obumbrabat mysteria incarnationis filij Dej: *Finis enim legis Christus est*, inquit Apost. *in salutem omni credenti*. 5. Vmbra est causa terroris paruulorum. Sic lex pueros & imperfectos timore coercebat. 6. Quia deceptiua est oculorum debilium: sic lex gloriantes de legis operibus fallebat: nam vt rectè Apostolus, *Ex operibus legis* (sine gratia subintellige) *non iustificabitur omnis homo*. Tandem 7. Quia mobilis est ad transitum: nam vmbram noctis sequitur aurora, deinde dies: sic lex durauit à Moyse ad Christum, qui radiis fidei & gratiæ, diem sanctificationis generis humani illucescere fecit.

Lex vmbra. *Heb. 10.* *Esai. 9.* *Rom. 10.*

Liber. *Vide* Scriptura
Loqui. *Vide* Christus, Sermo.

1. *Loquitur nobis Deus multipliciter.*
2. *Homines pessimi & detractores pessimè sapè loquuntur.*
3. *Detractionis quàm graue vitium.*

DEVS quomodo se manifestat. *Apoc. 1.* *Iud. 1.* *Iud. 7.* *Num. 12.* *Exod. 20.* 1. DOminus nobis multiplici loquela voluntatem suam manifestat. Primò per apparitiones Angelorum, vt patet Apocalyp. Sic *Angelus venit ad locum flentium.* Et *Angelus Domini apparuit Manue.* 2. Per imaginationes somniorum: Sic Dominus, *Per somnium loquar ad illos.* 3. Per formationes sonorum: hinc Moyses, *Vos audiuistis quòd de Cælo loquutus sit vobis Dominus.* 4. Per inspirationes reuelationum: Sic *Spiritus Domini loquutus est per* *2. Reg. 24.* *Dauid.* 5. Per verba Doctorum, *non* enim, inquit Christus, *vos estis qui loquimini, sed* *Math. 10.* *Spiritus Patris vestri.* 6. Per nutus creatuturarum: *Cæli* enim *enarrant gloriam Dei.* *Psal. 18.* Tandem septimò per immissionem cogitationum.

Malè loquentes. *Psal. 57.* *Psal. 5.* 2. Peccatores & loquaces sæpe loquuntur, & quidem nimium; sed primò falsa, de quibus Propheta, *Errauerunt ab vtero, loquuti sunt falsa*; sed Deus *perdet omnes loquentes mendacium.* 2. Loquuntur sæpe aduersus Iustum iniquitatem & iniqua.

Superbia & abusu. Sed Deus *Obstruet os loquentium iniqua*. 3. Loquuntur aspera, sicut fratres Ioseph, *nec poterant ei quidquam pacificè loqui*. 4. Loquuntur vana, de quibus dicitur, *Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde loquuti sunt*. Quintò loquuntur perniciosa, famam proximi denigrando, & occulta peccata manifestando, per publicam diffamationem, aut verba scandalosa aut blasphemias proferendo. 6. Loquuntur de minimis, idest, de terrenis, *quia ex abundantia cordis os loquitur*: Ideò optimè Saluator, *Qui de terra est, de terra loquitur*. 7. Sæpe loquuntur dolosa, blandè scilicet coràm, & à retro pessima & mala, de quibus Propheta, *Quid detur aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* & paulò antè, *Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa*.

Psal. 61.
Gen. 36.
Ioan. 3.
Psal. 119.

3. Detractionis prauissimum esse peccatum vel ex eo constat quòd dicunt Doctores, quòd tertia pars hominum ex eo damnabitur. Est enim *Draco* ille, *qui caudâ suâ tertiam partem stellarum traxit de cælo*; eò quòd voratores sunt carnium & sanguinis proximi. Nec vnquam debita fit restitutio ablatæ famæ, immò moraliter loquendo vix fieri potest. 2. Constat ex eo, quòd præter innumeras alias scripturas, quibus detractionis vitium vituperatur, & in detractores pœnas decernit, Apostolus dicat, *detractores esse Deo odibiles*, in signum

Detractio quid.
Apoc. 12.
Rom. 1.

Illuminabit te Christus. Ad bonum verò illuminat, Primò præcones verbi ad illuminationem dicendorum. 2. Obedientes ad honestatem mornm. 3. Perseuerantes vt perueniant ad regnum; tales *deducit in nube diei & tota nocte in illuminatione ignis.* 2. Illuminatio causat in beatis tria, securitatem scilicet sine metu, iucunditatem sine fletu, & Æternitatem sine defectu, & de his dicitur, *Dominus Deus illuminabit eos, & regnabunt in secula seculorum.* 3 Illuminatio erit terribilis: nam illuminabit corda, conscientias, & malorum peccata, quamuis occultissima. *Psal. 77.* *Apoc. 23.*

2. Accepimus verò à Deo & Christo: Primò lumen naturalis intelligentiæ, quia *signatum est super nos lumen vultus Dei.* Deinde lumen sapientiæ; nam ignorantiam nostram illuminat, vt eius bonitatem agnoscamus. 3. Lumen gratiæ quo illuminat tenebras noctis huius. 4. Lumen vitæ, de quo dicitur, *& vita erat lux hominum.* 5. Lumen lætitiæ & gaudij cordis, *lux enim orta est iustis & rectis corde lætitia.* Tandem 6. Lumen gloriæ, *cuius lucerna est agnus.* *A Christo.* *Psal. 4.* *Eccli. 51.* *Ioan. 1.* *Psal. 96.* *Apoc. 21.*

Luxuria.

Quanta grauitas huius peccati, & quantùm noceat. *Apoc. 21.*

GRauitas peccati huius satis patet ex sacris litteris: nam propter illud *periit* *Luxuriæ mala.*

Gen. 1. *totum genus humanum diluuio.* Ciuitates
Ibid. 19. *Sodoma & Gomorrha calesti igne extincta*
Ibid. 24. *sunt, & Zichemita perierunt in ore gladij,* & Rex Dauid à proprio filio fugatus tribus mensibus priuatus fuit regno, & Salomon amabilis Domino propter hoc peccatum lapsus est in idololatriam; ita quòd nec humanæ vires, nec sanctitas, nec sapientia superare valeat hoc vitium, quod est ex desiderijs carnis veniens, lubrica mentis & carnis prostitutio. De speciebus nihil dico, quia raró inter concionandum de istis fit sermo, præterquàm de fornicatione & adulterio, reliquæ ex Doctoribus petantur. Nocet autem hoc peccatum multipliciter. Est enim primò Deo contumeliosum, quia Templum eius coinquinat. 2. Subiecto proprio nocet; nam qui fornicatur, in corpus suum peccat. Animam propriam, mentem infa-
Osea. 4. tuat, quia vinum & mulieres auferunt cor. Remedia autem huius peccati sunt, 1. Oc-
Eccli. 24. casiones fugere. Nam *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* 2. Mortis extrema cogitare. 3. De se non præsumere, quia cecidit Dauid sanctissimus & Salomon sapientissimus, Sampson fortissimus: quis ergo modò tutus erit? 4. Carnem domare Ieiuniis & abstinentiis, quia *hoc genus dæ-*
Marc. 9. *moniorum non ejicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Tandem tentationi in initio resistere.

Magistratus, potestas. *Vide* Prælatus.

Magistratibus & Superiori potestati septem debemus.

QVia iuxta Apostolum, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, voluit Deus vt maioribus & magistratibus exhibeamus; Primò subiectionem: ideò alius Apost. *Subiecti estote omni humana creaturæ propter Deum, siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis*. 2. Honorem: ideo idem, *Deum timete & Regem honorificate*. 3. Timorem & reuerentiam: nam *principes non sunt timori boni, sed mali operis*. 4. Fidelitatem, sic laudatus fuit Ethai à Dauide quod ostenderit *Fidem & fidelitatem*. 5. Tributorum solutionem: nam hoc ipse Christus & fecit, & iussit, *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Sextò obedientiæ promptitudinem: Sic Apost. *Obedite præpositis vestris, ipsi enim invigilant tanquam rationem reddituri, ne hoc faciant gementes, non enim expedit vobis*. Septimò orationum assiduitatē: hinc Apost. *Obsecro fieri obsecrationes, orationes*, &c. *pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt*. Ipsi enim indigent omnium orationibus. Primò propter multiplicius negocium publicum, quia plura habent tractare. Ideo maius onus habent, de quibus dicitur: *Gigantes gemunt sub aquis*, id est, superiores sub regimine populi, *Aqua enim multa populi*

Rom. 13. Potestatibus obediendum.
1. Pet. 2.
Rom. 13.
2. Reg. 15.
Mat. 22.
Heb. 13.
Iob. 26.

Deut. 1. *puli multi.* Ideo etiam Moyses dicebat: *Non possum solus portare negotia vestra.* 2. Propter maius periculum, quia magis infestantur *1. Reg. vlt.* ab aduersario. Patet in Saül in quo totum pondus prælii versum fuit; & in Achab, in quem omnes Syrii iussu regis præliabantur. *4. Reg. 1.* 3. Propter maius debitum subditorum, quorum negotia tractant. Tandem propter maius Ecclesiæ commodum, quia sub eorum vigilia & cura tranquillam & quietam vitam agimus. Quare stultè faciunt, qui publicè & coram subditis magistratus reprehendunt in particularibus abusibus: nam tunc populus gaudet, & in magistratum debacchatur, nisi fortè in iis peccarent, quæ sunt contra Deum, regem, & bonum Reipublicæ.

Mali. *Vide* Peccator.

Mandatum, Præceptum.

1. *Mandata Dei plures effectus operantur in anima.*
2. *Quibus rationibus mandata Dei obseruare debeamus.*

Mandatorũ Dei effectus. 1. Mandata Dei primò illuminant intellectum, quia lucerna pedibus nostris, si à mandatis Dei intelligimus cum *Psal. 118.* Propheta. 2. Inflammant affectum; nihil. n. dulcius, quàm respicere in mandatis Dei, *Eccli. 9.* quæ *desiderabilia* sunt, *& duciora super mel* *Psal. 18.* *& fauum.* 3. A malis liberant, quia qui custodit præceptum, non experitur quid-

quàm mali. 4. In bono conseruant, quia *si volueris mandata seruare*, inquit Sapiens, *conseruabunt te.* 5. Adferunt sapientiam, *quia fons sapientiæ verbum Dei in excelsis*, &c. Sextò impetrant gratiam: sic Christus, *Seruate mandata mea, & ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis.* 7. Faciunt pacem cum Deo: hinc per Proph. Dominus, *Vtinam attendisses ad mandata mea, fuisset sicut lumen pax tua.* Tandem 8. Ad vitam introducunt, vt testatur Christus, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quare Dei mandata debemus habere in intellectu, & affectu, in memoria, in opere & in ore. *Eccli. 1.* *Eccli. 15.* *Eccli 1.* *Ioan. 15.* *Esai. 48.* *Matt. 19.*

2. Seruanda autem sunt mandata: Primò ratione efficientis siue mandantis, qui est *Deus cui nemo resistere potest, sub quo curuantur, qui portant orbem.* 2. Quia terrent, propter præsentiam imperãtis, qui vbique præsens est. 3. Quia cogunt, propter potentiam punientis. Secundò, seruanda sunt ratione materiæ. 1. Quia sunt de rebus pretiosis & sanctis. 2. Quia Fidelia nihil admittentia mali. 3. Quia facilia, quia de dilectione: nihil enim facilius, quàm amare. Tertiò, seruanda sunt ratione formæ, quia communia omnibus, sine personarum acceptione; omnibus enim imponuntur, nemo est excusasus. 4. Quia parentia, & pauca: nam vt ait Apostolus, *qui diligit proximum legem impleuit.* Quintò tandem ratione finis, quia vtilia; Cur seruanda. *Iob. 9.* *Rom 13.*

Domina mũdi, quæ genuit regem regum, & Dominum dominantium. *Dulcedo nostra*, quæ rigorem iustitiæ diuinæ flectit. 5. *Electa vt Sol*, qui præ cæteris astris lucet: sic sãctitas virginis nullâ maculâ peccati fœdatur, sed superat omnes sanctos. *Exemplum virginitatis*, & humilitatis, quarum vna est ornatus alterius. 6. *Fauus distillans*, quia in vtero dulcedinem diuinæ pietatis filium Dei incarnatum habuit. *Fenestra cœli*, quia per ipsam Deus de cœlo respexit, & radios suæ lucis fudit. *Filia Dei* Patris per excellentiam, quia obtinuit à Deo quòd nulla creatura sit filia, sponsa, & mater Dei. 7. *Gloria Ecclesiæ*, propter summam eius dignitatem & sanctitatem, quâ eleuata est super omnes choros Angelorum. *Gratiâ plena*, gratia gratum faciente & omnium donorum, tam Spiritus sancti quàm gratis datorum. *Genitrix Dei*, quia genuit hominem Deum factum. 8. *Hæreticorum* interemtrix, quia sua intercessiones eos effugat. *Hortus conclusus*. Hortus quidem, quia virtutum omnium varietate veluti flosculis ornata; conclusus autem, quia nulla aduersaria potestas eam vnquam maculare attentauit. 9. *Ianua* cœli, per quam benignitas Dei ad nos venit. *Inuentrix* gratiæ; sic enim Angelus, *Inuenisti gratiam apud Deum*. 10. *Libanus non incisus*, quia sine amissione virginitatis peperit Christum. *Lignum vitæ* quod protulit fructum vitæ. *Lucerna inextincta*

E.
F.
G.
H.
I.
L.

quæ indesinenter in Ecclesia militante lu-
M. cet præclaris exemplis & meritis. 11. *Mater misericordiæ*, quia filium misericordiosissimum Deum & hominem genuit.
N. *Mulier amicta sole.* 12. *Nardus odorifera.* Propter humilitatem ex qua, dum Rex esset in accubitu suo, bonum sicut nardus odorem fudit. *Nauis institoris de longè portans panem* vitæ, manna cœleste. *Nubes* Domini leuis quæ cælitus & Spiritus sancti rorem diuinæ gratiæ conceptum effu-
O. dit. 13. *Oliua speciosa* in campis, quia eius nomen dulcissimum, & oleum Christum, medicinam nostrorum peccatorum effu-
P. dit. 14. *Paradisus* voluptatis in quo Adam fuit collocatus. *Puteus aquarum viuentium*, quia est abundans, effluens venam gratię. *Pulchra vt luna*, præest enim nocti: sic in Ecclesia prælucet omnibus omninò Sãctis plus luminis accipiẽs à sole iustitiæ Chri-
R. sto quàm omnes Sancti. 15. *Regina Sanctorum* omnium, quæ peperit regem omnium Sanctorum, sic à Dauide præuisa,
Psal. 44. *Astitit regina à dextris in vestitu deaurato.* &c. *Rosa mystica* sine spina peccati, & eximium decus virtutum quod spirat. Et *rubus ardens* incombustus; propter conser-
S. uatam laudabilem virginitatem. 16. *Sacrarium Spiritus sancti*, in quo spiritus Dei mansit & operatus est sanctissimã Christi Incarnationem. *Stella maris*, ad quam post Deum intendit oculus nauigantiũ in mari hoc spatioso mundi. *Sponsa Dei Patris*,

Quia filium Dei in vtero portauit, quem Pater æternaliter in sinu suo fouit. 17. *Terror Dæmonum*, qui eam timent à qua prostrati sunt. *Thronus Salomonis* veri in quo requieuit. *Turris Dauid*, id est, munimentum, contra hostes visibiles & inuisibiles meritis & exemplo. 18. *Vas autem*, in quo cæleste manna fuit reconditum. *Virga Iesse* è qua enatus est flos Christus, supra quem requieuit Spiritus Domini. Plura alia passim habentur apud omnes. T. V.

Martyrium, certamen, passio. *Vide* Patientia.

1. *Ad certamen Martyrij subeundum pro Christo currendum.*
2. *Causa patiendi patienter qua.*

1. MArtyrium Deo est valde gratum, sed non omnibus datum, etsi ab omnibus optandum; vbi verò ob Christi nomen occasio Martyrij sese offert, volũtariè subeundũ est Primò, quia Martyrium animas à culpa perfectè mundat: Ideò dicitur, *Lauerunt stolas suas in sanguine agni*. 2. Iter ad cœlum abbreuiat: nam latroni dictum est, *Hodie mecum eris in Paradiso*. 3. Quia de triplici hoste gloriosè triumphat, scilicet de mundo, carne & Diabolo: *Sancti* enim, inquit, *per fidem vicerunt regna*. 4. Quia vicem Christo compensat.

Martyrij excellentia. *Apoc. 7.* *Luc. 23.* *Hebr. 11.*

Ps. 115. Sic enim Proph. *Quid retribuam Domino? Calicem salutaris accipiam*, &c. 5. Quia
Act. 7. Paradisum statim reserat. Hinc *Stephanus vidit cælos apertos*. 6. Quia gloriosum priuilegium impetrat, aureolam scilicet; nam *non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*.
2. Tim. 2. 7. Quia fidem Christi roborat, & confirmat, vnde Martyr Græcè, dicitur Latinè, testis: Sic Saluaaor, *Eritis mihi testes in*
Act. 1. *omni Iudæa & vsque ad vltimum terræ*. Tandem Octauò alios ad patiendum animat: nam Eleazarus fortiter passus est, di-
2. Mach. 6. cens, *Adolescentibus autem forte exemplum relinquam*.

Patiendi causæ. 2. Patiendi autem causæ plures. 1. Voluntariæ, quarum prima est exhibitio misericordiæ, vt Christus fecit, quia ex misericordia redemit nos à Dæmonis potestate, iuxta illud, *Qui redemit de interitu vitam*
Ps. 102. *tuã*, &c. 2. Defẽsio iustitiæ, nam vt dicit D. Petrus, *Si quid patimini propter iustitiam*,
1. Pet. 4. *beati*. 3. Conformatio vitæ Christi; *si enim compatimur & conregnabimus*; ipse enim dedit nobis exemplum imitandum, obligauit ad debitum soluendum, & incitat per sequens præmium. 4. Causa est inuoluntaria quam inducit perpetratio culpæ, propter quam infliguntur pœnæ. Ad has sequitur 5. Causa quæ est punitio gehennæ, quantùm ad reprobos, *quia opera eorum*
Ioan. 3. *mala*.

Matri-

Matrimonium.

1. *Commendatur status matrimonij à multis rebus.*
2. *Quæ causa instituendi matrimonij.*
3. *Vnde mulieres nuptæ commendabiles & à quibus abstinere debent.*
4. *Viri quæ debeant vxoribus & econtrà vxores quæ viris, & quando, etiam ob fornicationem, non potest eam dimittere.*

1. COmmendatur status matrimonij in hoc primò, quòd Deus illud instituit. 2. Quod de virgine desponsata viro nasci voluit. 3. Quia ad nuptias vocatus venit, & primo miraculo à se facto eas cohonestauit. 4. Quia inseparabiliter seruare præcepit: nam quod ipse coniunxit noluit homines separare. 5. Quia in noua lege inter Sacramenta assumpsit & sacrauit: hinc Apostolus, *Sacramentum hoc magnum est in Christo & Ecclesia.* *Matrimonij commendatio. Gen. 2. Matth. 1. Ioan. 2. Eph. 5.*

2. Plures ob causas illud instituit. Prima est multiplicatio & conseruatio humani generis: *Crescite,* inquit, *& multiplicamini.* 2. Impletio numeri supernæ ciuitatis ciuium: Hinc Dauid, *Vt ædificentur muri Hierusalem.* 3. Vinculum humanæ amicitiæ & societatis: *Non* enim *est bonum homini esse solum, faciamus ei adiutorium* 4. Vitatio fornicationis. Hinc Apostolus, *Causæ institutionis. Gen. 2. Psal. 50. Gen. 2.*

S.

1. Cor. 7. *Propter fornicationem vnusquisque propriam vxorē habeat.* Quinta significatio coniunctionis Christi cū Ecclesia: Ideò Apost. *Sa-*
Eph. 5. *cramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* 6. Et vltima diligens instructio & educatio prolis, de qua
1. Tim. 5. Apostolus, *Saluabitur* (mulier scilicet) *per filiorum generationem, si permanserint in fide & dilectione*, filij scilicet per educationem.

Mulieris commēdatio. 3. Mulierem nuptam commendat Pri-
Prou. 14. mò Sapientia, quia *mulier sapiens ædificat*
Eccli. 26. *domum.* 2. Munditia & castitas: *Non enim est ponderatio continentis animæ.* 3. Constantia in castitatis & fidelitatis proposito, & hæc quidem quoad actus cordis. 4. Mo-
Ibid. destia in loquendo; nam *mulier sensata & tacita laudatur.* 5. Veritas contra mendacium. 6. Discretio contra stultiloquiū, & hæc quoad actus oris. 7. Sanctimonia in
Ibid. conuersatione. 8. Verecundia in signo exteriori, quia est *gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.* 9. Tandem & vltimò
Prou. 11. gratia in conuersando: nam *mulier gratiosa inueniet gloriam.* Dedecet enim si mulier publicè virum docere velit, & contra eum arguere, quia id Apost. prohibet, *Do-*
1. Tim. 2. *cere*, inquit *mulierem non permitto.* 2. Si in Ecclesia loquatur vel Prophetizet, id est, cachinnis agat, & risu &c. nam Apo-
1. Cor. 14. stolus mandat vt in Ecclesijs taceat. 3. Si viris præesse intentent per vim, aut malitiam, aut importunam vexationem: nam Apostolus vult *mulieres viris subditas es-*

ſe. Tandem 4. inuelata, ſi veniat ad Eccleſiam inuerecundam ſe oſtendens. *Non enim decet mulierem non velatam orare.* *Eph. 5. 1. Cor. 11.*

4. Debet autem vir qui caput eſt mulieris eam primò diligere. 2. Inſtruere: nam *vxores conſilium à viris accipere debent.* 3. Corrigere, ſic correxit Tobias vxorem Annam & Iob ſuam, dicens, *Quaſi vna de ſtultis mulieribus loquuta es.* Quartò honorare, vt docet, Petrus: *Quaſi infirmiori vaſculo impertientes honorem.* 5. Gubernare tãquam Pater-familias, quia ipſe vir eſt caput. 6. Fomentũ & ſuſtentationem; nemo enim non *fouet & nutrit carnem ſuam.* 7. Sociabiliter cohabitare: nã propter eam *relinquit homo Patrem & matrem ſuam.* 8. Carnale debitum petenti ſoluere: Hinc Apoſt. *Vxori vir debitum reddat.* Econtra autem debet vxor viro etiam dilectionem. 2. Fidem thori: Nam *adultera erit ſi fuerit cum alio viro.* 3. Timorem & reuerentiam; *Vxor* enim inquit Apoſt. *timeat virum ſuum.* 4. Subiectionem & obſequium, & obedientiam. 5. Reuerentiam in verbis: *Sara* enim *vocauit Abraham dominum.* 6. Conſortium in cohabitatione; *præcepit* enim *Dominus vxorem à viro non diſcedere.* Tandem 8. Adiutorium in cooperatione; eſt. n. *facta in adiutoriũ viri.* Debitum viri. *Eph. 5. Tob. 2. 1. Petr. 3. Eph. 5. Gen. 2.* Mulieris. *1. Cor. 6. Rom. 7. Eph. 5. Gen. 18. 1. Cor. 7. Gen. 2.*

5. Non poterit autem vir ab vxore diſcedere quoad cohabitationem tantùm, (nam aliàs diſcedere non poteſt omnino) etiam ob fornicationis Matrimonij vinculũ.

causam quando primò eam primus prostituit. 2. Quando ipse cum alia fornicatus fuerit. 3. Quando ipse ei occasionem fornicandi dedit, vt quia non vult reddere debitum. 4. Quando ipsa probabiliter virum credidit mortuum, & alteri nupsit. 5. Quando violenter oppressa fuit. 6. Quando sub specie viri fuit ab altero cognita, ignoranter. 7. Quando fuit à viro post adulterium retenta & cognita.

Memorari, Memoria, Dies.

Memorandi dies præteriti & memoria tenendi, ordinandi præsentes, & præuidendi futuri.

Recordari præteritorum.

Memoria tenendi dies præteriti, vt in his cogitemus, 1. Beneficia accepta, scilicet creationis, redemptionis, passionis, resurrectionis, & iustificationis. 2. Mala commissa, vt de eis pœniteamus. 3. Bona exempla piorum, vt ad similia animemur.

Ordinare præsentia.

Secundò ordinandi dies præsentes, memoriâ tenendo primò eorum acceptabilitatem, quia *nunc dies salutis*, ideò benè operandum. 2. Breuitatem; *breues* enim *dies hominis sunt*, ideò instanter operandum. 3. Irreuocabilitatem; *consumpti* enim *sunt absque spe* haud dubiè reueniendi. Ideò continuè & perseueranter bene operandum. Tandem 3. Dies futuri præuidendi, quia debemus dum *tempus habe-*

2 Cor. 4. Iob. 14. Iob. 7.

Præuidenda futura. Gal. 5.

mus operari bonum. Quia iurauit Angelus per viuentem in secula, *quòd post hoc tempus non erit vltrà tempus.* Apoc. 10.

Meretrix.

Meretricis mulieris & fornicariæ designantur vitia.

MEretrix à merendo, quia meretur prostitutione corporis proprij stipendium, quod iustè petere potest, & tenetur fornicans ex iustitia soluere. Est primò mendax in litigando, vt patet coram Salomone. 2. Fallax in blandiendo: Quia *labia eius fauus distillans*. 3. Vorax in consumendo, vt patet in filio prodigo. 4. Tenax in illaqueando. *Est* enim *fouea angusta*. 5. Fastidiosa frequentando: Nam *fastidio auget petita*. 6. Curiosa in ornando; ideò abusus ornatus vocatur meretricius. 7. Cautelosa in negotijs, vt patet *in Raab*. Tandem Octauò damnosa in extremis vt ostensum est D. Ioanni, cui dixit Angelus, *Veni ostendam tibi damnationem meretricis*: Stultus ergo est qui [illegible]ens membra sua, quæ templum Christi sunt, *facit membra meretricis*. Fugienda igitur est fornicatio. Vnde versus:

Meretricis mala. 3. Reg. 3. Prou. 5. Luc. 15. Prou. 23. Ezech. 16. Iosue 2. Apoc. 17. 1. Cor. 6.

Cede, Venus cedit: instas? magis improba lædit.
Qua specie Martis, cedit victoria Parthis.

Cypris, eo Marte, vel ea deluditur arte.

Parthi enim fugiunt vincendo, & vincunt fugiendo, mittentes tela in sequentes.

Meritum. *Vide* bona opera.

Militia, bellum, pugil.

1. *Militanti aut pugili vincere volenti septem sunt necessaria.*
2. *Militantes sunt diversi generis.*
3. *Ad bellum Spirituale qui nos animent.*
4. *Miles Christi quomodo debeat laborare.*

Militi necessaria. MIlitanti & in agone contendenti, Primò est necesse, vt capillos tondeat, per temporalem abiectionem, 2. Inũgi oleo: per mentis alacritatem. Vnde Psal. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ.* 3. Baculum cornutum tenere per crucis assiduam memoriam & recordationem, vt possit dici illud, *Cornua in manibus eius.* 4. Scutum gestare, per fidei fortitudinem, vt hortatur Apostolus, *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* 5. Tunicam rubeam induere per ardentissimam charitatem. 6. Artem pugnandi & contrarij astutiam agnoscere per discretionem: *Estote*, inquit Christus *prudentes sicut serpentes.* Tandem. 7. Audacem esse per fidei animositatẽ, ideò Propheta, *Viriliter agite & con-*

Psal. 44. Abac. 3. Ephes. 5. Matth. 10 Psal. 36.

fortetur cor vestrum & sperate in Domino.

2. Pugnantium & militantium quidam pugnant contra nos,& quidam pro nobis. Contra nos pugnat,primò caro cum exercitu tentationũ; tentat enim domum cordis,modò comburere igne luxuriæ, modò fundere ingluuie, modo prosternere irâ, &c.2. Mundus cum exercitu tribulationũ, qui modò terret supplicijs,modò ligat negotijs,modò trahit consortijs.3. Diabolus pugnat cum exercitu vitiorum, qui modò promittit sublimia, vt vincat per superbiã, modò suggerit delectabilia, vt subijciat per gulã & luxuriam, ideò D. Petrus,*Obsecro vos abstinere à carnalibus desiderijs quæ militant aduersus animam*, &c. 4. Iustus cum exercitu virtutum pugnat contra corpus, carnem domando per temperantiam, mundum contemnendo per prudentiam, & Diabolo resistendo per fortitudinem. Ideò dicit Apost. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.* 5. Deus cum exercitu suo pro nobis pugnat, Angelos mittendo ad nostram custodiam, Dæmonem compescentes,& Prælatos vigilantes pro animabus nostris.

Pugnantiũ diuersitas.

1. Pet. 2.

2. Cor. 10.

3. Animare autem nos debent ad bellum spirituale: 1. Ducis nostri exemplum,qui in carne passus est, vt *nos eadem cogitatione armemur.* 2. Gesta sanctorum, quorũ opera meminisse debemus. 3. Debilitas hostium, qui nos sine nostro consensu vincere non possũt,dicũt n. animæ nostræ illud Esaiæ,

1. Pet. 4.

1. Mach. 2

Cypris, eo Marte, vel ea deluditur arte.

Parthi enim fugiunt vincendo, & vincunt fugiendo, mittentes tela in sequentes.

Meritum. *Vide* bona opera.

Militia, bellum, pugil.

1. *Militanti aut pugili vincere volenti septem sunt necessaria.*
2. *Militantes sunt diuersi generis.*
3. *Ad bellum Spirituale qui nos animent.*
4. *Miles Christi quomodo debeat laborare.*

Militi necessaria. MIlitanti & in agone contendenti, Primò est necesse, vt capillos tondeat, per temporalem abiectionem, 2. Inũgi oleo: per mentis alacritatem. Vnde Psal. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ.* 3. Baculum cornutum tenere per crucis assiduam memoriam & recordationem, vt possit dici illud, *Cornua in manibus eius.* 4. Scutum gestare, per fidei fortitudinem, vt hortatur Apostolus, *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* 5. Tunicam rubeam induere per ardentissimam charitatem. 6. Artem pugnandi & contrarij astutiam agnoscere per discretionem: *Estote*, inquit Christus *prudentes sicut serpentes.* Tandem 7. Audacem esse per fidei animositatẽ, ideò Propheta, *Viriliter agite & con-*

Psal. 44. Abac. 3. Ephes. 5. Matth. 10 Psal. 36.

ſortetur cor veſtrum & ſperate in Domino.
2. Pugnantium & militantium quidam pugnant contra nos, & quidam pro nobis. Contra nos pugnat, primò caro cum exercitu tentationũ; tentat enim domum cordis, modò comburere igne luxuriæ, modò fundere ingluuie, modo proſternere irâ, &c. 2. Mundus cum exercitu tribulationũ, qui modò terret ſupplicijs, modò ligat negotijs, modò trahit conſortijs. 3. Diabolus pugnat cum exercitu vitiorum, qui modò promittit ſublimia, vt vincat per ſuperbiã, modò ſuggerit delectabilia, vt ſubijciat per gulã & luxuriam, ideò D. Petrus, *Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſiderijs quæ militant aduerſus animam*, &c. 4. Iuſtus cum exercitu virtutum pugnat contra corpus, carnem domando per temperantiam, mundum contemnendo per prudentiam, & Diabolo reſiſtendo per fortitudinem. Ideò dicit Apoſt. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo.* 5. Deus cum exercitu ſuo pro nobis pugnat, Angelos mittendo ad noſtram cuſtodiam, Dæmonem compeſcentes, & Prælatos vigilantes pro animabus noſtris.

Pugnantiũ diuerſitas. 1. Pet. 2. 2. Cor. 10.

3. Animare autem nos debent ad bellum ſpirituale: 1. Ducis noſtri exemplum, qui in carne paſſus eſt, vt *nos eadem cogitatione armemur.* 2. Geſta ſanctorum, quorũ opera meminiſſe debemus. 3. Debilitas hoſtium, qui nos ſine noſtro conſenſu vincere non poſſũt, dicũt. n. animæ noſtræ illud Eſaiæ,

1. Pet. 4. 1. Mach. 2

Esai. 2. *Incuruare vt nauseamus.* 4. Multitudo ad-
3. Reg. 6. iutorum; plures enim nobiscum sunt quàm cum illis. 5. Informatio seniorum, qui bonum relinquunt exemplum, hinc
Heb. 12. Apost. *Habentes tantam nubem testium curramus ad propositum certamen.* 6. Magnitudo præmiorum: *Qui* enim *vicerit dabo*
Apoc. 2. *illi coronam vitæ*, &c. 7. Iustitia causæ, pro qua pugnamus, quia est pro Dei honore & nostra salute. Tandem Octauò diuinum auxilium, semper nobis paratum: *Confortatur* enim *à Domino & potentia virtutis eius.*
Eph. 6.

Laborandũ Christiano. 4. Quare quilibet Christianus sicut bonus miles laborare debet, vt primò spiritualibus armis se muniat, & induat armaturam Dei. 2. Castra sua, & omnium fidelium protegat gladio Spiritus, quod est verbum Dei. 3. Aduersarios Ecclesiæ, id est, hæreticos persequendo, vt eos comprehendat non vi sermonis, sed exemplo vitæ. 4. Spolia eorum, id est, animas ab ijs captas, diripiendo, prædam ab eis captam de castris Ecclesiæ recuperando.

Ministrare, Minister. Ministerium, Seruus.

1. *Minister Christi debet septem habere conditiones.*
2. *Qui ministrant debent septem habere conditiones.*

3. *Mini-*

3. *Ministrare indigentibus, & opus Christi.*

4. *Ministerium Deo gratum & optimum quale.*

1. QVIA vt plurimum secundùm populi, *sic & ministri eius*, ideò oportet, Primò vt sit qui ministrat in ministrando intelligens, & discretus in cognitione eorum quæ spectāt ad ipsius ministerium: *Acceptus enim est regi minister intelligens*. 2. Vt sit purus sine duplicitate, & mundus in affectione: nam *ambulans in via immaculata, sic ministrabat* ritè Deo. 3. Vt sit potens & strenuus in operatione: nam vigilandum est in omnibus; quia *nescitur dies neque hora*. 4. Debet esse compositus & honestus in conuersatione, ne dando offēsam vituperetur ministerium. 5. Fidelis & prouidus in dispēsatione: non enim placent furtiui serui, & dissipatores. 6. Debet esse mitis & patiens in aduersis: *Patientia enim necessaria est*. Tandem 7. debet esse sobrius & modestus in prosperis: *Non enim est dignum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*.

Ministri conditiones. *Eccli. 10.* *Prou. 14.* *Psal. 100.* *Matth. 25* *Heb. 12.* *Act. 6.*

2. Vt quis sit bonus seruus, bene ministrans debet esse fidelis in facto. Quæritur enim hoc vt *fidelis quis inueniatur*. 2. Vt sit simplex & prudens in animo obediendo, *in timore & simplicitate*. 3. Vt habeat reuerentiam in modo, & superiorem vt patrem amet: sic serui Naaman dicebant,

Boni serui conditiones. *1. Cor. 4* *Eph. 6.*

4. Reg. *Pater, si rem grandem Propheta dixisset.*
4. Vt sit strenuus, non desidiosus; sic erit gratus Domino, & habebit eum in honore, iuxta illud, *Si tibi sit seruus bonus, sit tibi pro anima tua.* Eccli. 33.

Matth. 20 3. Porrò indigentibus ministrare est opus Christi, quia aduenit scilicet, non vt ministretur ipsi, sed vt ipse alijs ministret. 2. Quia hoc, verbo & exemplo docuit, *Vos* inquit, *vocatis me Magister & Domine. Si ergo laui pedes vestros*, &c. 3. Quia quod pauperi administratur hoc ipsi fit: *Quod* enim *vni ex minimis fecistis*, &c. 4. Quia in futura vita ipse nobis ministrabit: *transiens* enim *ministrabit illis* gloriam Deitatis. Ioan. 13. Matth. 25 Luc. 12.

Ministerium bonum. 4. Ministerium optimum est, fœlix & Deo gratum. 1. Quo pauperes sustentantur, quia supplet ea quæ sanctis desunt. 2. Quo multiplices gratiæ Deo referuntur, quia abundat laus Dei per multos in gratiarum actione. 3. Quo alij videntes ædificantur, quia glorificant Deum & Patrem. 4. Quo Deus honoratur, per obedientiam humilem. 5. Quo temporalia rectè cõmunicantur, quia *talibus hostijs promeretur Deus.* 6. Quo amor mutuus inflammatur, & vnà orationes Deo offeruntur: nam *ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.* Tandem 7. Quo gratia Dei in homine coniecturatur. Omnia enim hæc facit distributio eleemosynarum. Heb. 12.

Misericordia, pietas. *Vide* Deus. *Vide* Peccator.

Misericordia multa producit bona.

MIsericordia & pietas siue compassio in pauperes valet ad multa. Primò ad multiplicationem terrenæ substantiæ; *nunquam* enim *visus est iustus derelictus.* 2. Ad conuersionem vitæ: nam *eleemosyna à peccatis liberat & non patitur animam ire in tenebras.* 3. Ad redemptionem culpæ: Ideò Daniel dixit regi, *Peccata tua eleemosynis redime.* 4. Ad impetrationem gratiæ: nam *fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* 5. Ad euitationem gehennæ: nam *misericordia superexaltat iudicium.* 6. Valet ad adeptionem gloriæ. *Omnis enim misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum.*

Misericordiæ excellentia. *Psal. 36.* *Tob. 12.* *Dan. 4.* *Prou. 19.* *Iac. 2.* *Eccli. 16.*

Mors. *Vide* Christus.

1. *Mors multipliciter regnat, & potestatem exercet in malos.*
2. *Mors corporalis iusto desideranda.*
3. *In morte amicorum non debemus contristari.*
4. *Mors Christi fuit ignominiosa.*

Mors vnde. 1. MORS quam generauit peccatum, & inuidia Diaboli inuexit in orbem terrarum. Et si quandoque dicatur occidenda, vt *Ero mors tua ô mors.* (*Osea* 13.) Quandoque destruenda, scilicet post generalem resurrectionem: tunc enim *omnium nouissima destruetur inimica mors.* (1. *Cor.* 15.) Quandoque verò præcipitanda, quia *præcipitabit Deus mortem in sempiternum.* (*Esaia* 25.) Quandoque absorbenda, prout à Christo *absorpta fuit in victoria.* (1. *Cor.* 15.) Tamen multipliciter adhuc regnat, & potestatem exercet in peccatores. Primò suæ imaginationis horrorẽ incutiendo. Est enim *amara memoria eius.* (*Eccli.* 41.) 2. Multis doloribus afficiendo. (*Psal.* 17.) 3. Organa sensus offuscando. 4. Animã à corpore separando: *siccine* enim *separat amara mors?* (1. *Reg* 15.) 5. Ab amicis lachrymabiliter diuidẽdo. Patet in Rege Dauide lugente Absalonẽ. (2. *Reg.* 18.) 6. Bonis temporalibus violenter spoliando; *Diues* enim *cùm dormierit, nihil secum deferet.* (*Iob* 27.) 7. Animam in infernũ demergendo: nam qui mali *ducunt in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendunt.* (*Iob* 21.) 8. Corpus in puluerem redigendo: nam *cinis est & in cinerem reuertetur.* (*Gen.* 3.) Tandem ad hanc vitam redire non sinendo: non enim datur r[illegible]essus ad vitam.

Boni mortem optant. 2. His non obstantibus Sancti & boni optant mortem corporalem. 1. Quia per eam transeunt de labore ad requiem. *Amodo* enim *dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* (*Apoc.* 14.) Secundò quia transeunt de vi-

litate ad exaltationem: nam *Lazarus ab Angelis delatus est in sinum Abrahæ.* 3. Quia migrant de timore ad securitatem; *iustus enim in morte sua sperat.* 4. Quia de tribulatione ad plenam pacem: Ideò petebat Tobias in pace accipi spiritum suum. 5. Quia de peregrinatione ad habitationẽ supremam: nam etsi *dissoluatur domus huius habitationis, ædificationem habent ex Deo.* 6. De captiuitate ad libertatẽ: nam optabat Apost. liberari *de corpore mortis huius*: & Dauid orabat: *Educ de carcere animam meam.* Tandem 7. Quia transeunt de omni miseria ad æternã gloriam: ideò dicebat Apost. *Mori lucrum esse.* Itaque sãctis mors est exitus à carcere, finus exilij, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finis, oneris grauis, id est, corporis depositio, de furioso equo carnis descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, & omnium periculorum euasio, omnium malorum cõsumptio, vinculorũ omnium disruptio, debiti naturæ solutio, reditus in Patriam, & tandem ingressus in gloriam.

Luc. 16. Prou. 14. Tob. 3. 2. Cor. 5. Rom. 7. Psal. 141. Philip. 1.

3. In morte verò amicorum tristari possumus, contristari omninò nõ possumus; tristari inquam possumus. Nemo enim cohibere potest naturalem affectum, aut non ostendere in ploratu dilectionis signum: nam Christus super Lazarum lacrymas fudit, & impius Antiochus super Oniam iniustè occisum *flexus ad misericordiam la-*

Lugere de amicorũ morte. Ioan. 11. 2. Mach. 4.

chrymas fudit. Consolantur inde 3. Lugentes & 4. Vitatur hominum detractio. Est enim. 5. Status morientium dubius, & tandem aliquando amici subreptio, aliquid facit ad damnum temporale: sic Iudæi luxerunt Iudam Machabæum, dicentes: *quomodo cecidit fortis qui saluum faciebat Israël?* (1. Mach.)

(Mors Christi qualis.) 4. Fuit autem mors Christi ignominiosa nimis, secundum externam speciem, quia fuit mors latronum quæ habetur turpissima. 2. Nequissima. 3. Pessima, quia sub habitu peccatoris passus est, & vt latro inter latrones. (Sap. 2. Eccli. 21.)

Mulier. *Vide* Matrimonium & meretrix. Mundus.

1. *Periculosum est esse in mundo.*
2. *Difficile est benè viuere in mundo.*
3. *Mundi quatuor mala.*
4. *Mundi relinquendi modus consistit in quatuor.*

(Mundus periculosus.) 1. PEriculosum est esse in mundo sine Dei gratia, sicut periculosum est esse in mari sine gubernatore & gubernaculo. 2. Sicut in graui bello sine duce: Ideò optabat Moyses, vt Deus eos *educeret de Ægypto, præcederetque eos*. (Exod. 33.) 3. Sicut in via longa sine viatico & pane, quia indubiè, *deficient in via*. (Ioan. 8.) 4. Sicut in carcere tenebroso sine lumine. 5. Sicut in diuturno exilio

sine consolatore; est enim Deus *Pater totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Sextò sicut in medio ignis, sine refrigerio aquæ ignis ardorem extinguente. 2. Cor. 1.

2. Deinde valdè difficile est benè viuere in mundo. 1. Quia vanus sine veritate. In eo enim est *vanitas vanitatum.* 2. Quia malignus sine sanctitate: Est enim *totus in maligno positus.* 3. Quia periculosus sine securitate: *Quidquid est in eo, est concupiscentia carnis & oculorum & superbia vitæ.* 4. Quia mundus sine honestate. 5. Quia inquietus & indurabilis sine tranquillitate. 6. Quia deceptorius sine æquitate; promittit enim delicias quas dare non potest. Tandem 7. Est transitorius sine stabilitate; *transit enim mundus & concupiscentia eius.* Quare contemnendus est mundus, quia *qui voluerit esse amicus huius mundi, inimicus Dei constituitur.* Bene viuere difficile. Eccl. 1. 1. Ioan. 5. 1. Ioan. 2. Iacob. 4.

3. Perfectus igitur modus deserendi & contemnendi mundum primò est, cum contemnere quoad actum possidendi, vt relictis omnibus ad Christum conuolemus. 2. Quo ad actum amandi, vt scilicet non afficiamur ad ea quæ reliquit, nec ijs cor apponamus. 3. Vt non speremus iterum ad mundana quæ deseruimus, cupientes vt canis ad vomitum redire. 4. Quoad actum cogitandi: Dicitur enim viro religioso, *Obliuiscere populum tuum & domum Patris tui.* Modus contemnendi mundũ. Psal. 44.

Mundi vanitas. 4. Quatuor obseruat amator suæ salutis quo faciliùs mundum deserat. Primò eius tenacitatem; ideò Christus nos eripuit, id est, vi rapuit. 2. Eius breuitatem, quia *transiui & ecce non erat*. 3. Eius continua instabilitatem; nihil enim stabile. Quartum eius iniquitatem, quia *totus in maligno positus est*. (Psal. 36.) (1. Ioan. 5.)

Natiuitas.

Quadruplex est natiuitas, Diuina, humana, gratia, & culpa.

Natiuitas. INuenitur natiuitas, quarum vna est mirabilis. Alia miserabilis. 3. Vituperabilis. Quarta tandem commendabilis. Mirabilis est natiuitas diuina, & hoc quia nascitur caro sine macula, in quo denotatur puritas, ideò vocatur *germen iustum*. 2. Puer de puella, in quo nouitas denotatur: Quia *virgo concipiet*. 3. Deus de fœmina, in quo est humilitas, *Homo enim natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus*. 4. Fructus de virgula, in quo denotatur vtilitas, quia *natus est nobis paruulus & datus est nobis*. Verè vtiliter, quia natus est Christus in exemplum humilitatis, in testimonium veritatis, in signum dilectionis, in fœdus recôciliationis. Alia est natiuitas miserabilis, & est humana, quia primò est vilis & immunda: Nemo enim nascitur qui non immaculatus comparet (Diuina.) (Hier. 23.) (Esai. 7.) (Psal. 86.) (Esaiæ 9.) (Humana.)

coram Deo natus de muliere. 2. Pœnalis *Iob 15.*
& misera. 3. Concupiscentia fomitis, quæ
inflammat rotam natiuitatis nostræ, in- *Iacob 2.*
flammata. 4. Tenebris ignorantiæ obuoluta. Tandem 5. transitoria & infructuosa:
Transit enim *tanquam vestigium nubis*. *Sap. 2.*
Alia est commendabilis, quæ est natiuitas
gratiæ, tum ratione causæ quæ est fides; Gratiæ.
omnis enim *qui credit quòd Iesus est Chri-* *1. Ioan 5.*
stus, ex Deo natus est. 2. Charitas vera; omnis enim *qui diligit fratrem suum, ex Deo* *1. Ioan.*
est. 3. Iustitia operum in effectu; omnis *4.*
enim qui natus est ex Deo, peccatum non *Ibid. 2.*
facit. Tum ratione effectus, qui est fugere
peccatum, vt patet. Vincere mundum; *omne* enim *quod natum est ex Deo, vincit mun-* *1. Ioan. 5.*
dum. Perducere ad regnum, quia *nisi quis* *Ioan. 3.*
natus fuerit denuò, non potest introire, &c.
Tandem alia est vituperabilis; quia est
natiuitas culpæ qua homo fit filius Dia- Culpæ.
boli, & se facit natum cæcum. 2. Indi- *Ioan. 9.*
gnum ad docendum. 3. Infirmum ad benè
agendum. Et 4. fragilem & debilem ad
vincendum.

Nomen Domini. *Vide* Dei.

Nouitas.

Nouitas hominis in multis fit.

Renouatur homo nouitate vitæ Primò Renouatio hominis.
in nouitate Sacramentorum, baptismi præcipuè, quod vocatur lauacrum

renouationis. 2. In nouitate cordis: nam dedit Deus in nouo testamento cor nouum. 3. In nouitate linguarum, quia Sancti
Marci 16. prædicatores *linguis loquuntur nouis*. 4. In
Rom. 6. nouitate operum: nam *in nouitate vitæ ambulamus*. 5. In nouitate conuersationis,
Eph. 4. nam *exuimus veterem hominem*, & induti sumus Iesum Christum. 6. In nouitate præceptorum, recepimus mandatum nouum.
Ioan. 15.
Psal. 39. 7. In nouitate cultus; *immisit* enim *in os nostrũ canticũ nouũ*. Tandem 8. In nouitate
Iud. 5. bellorum; *elegit enim bella noua Dominus*.

Obedientia. *Vide* Homo.

1. *Subiectio hominis ad Deum est quadruplex.*
2. *Obedientia perfecta quæ requirat.*

Subiectio hominis Deo. 1. Quatuor modis contingit hominem Deo subijci. Quædam enim subiectio est voluntaria & occulta, & hoc modo boni subijciuntur Deo per bonam & promptam obedientiam. 2. alia est occulta & inuoluntaria, quo modo mali subijciuntur ei. 3. Est aperta & voluntaria, qua in futuro boni subijcientur ei. 4. Aperta & inuoluntaria, qua mali
1. Cor. 15. subijcientur ei, quando *ponet inimicos suos scabellum pedum suorum*. Prima subiectio habet meritum ratione voluntarij, ideò
Eccli. 6. monet Sapiens, *Subijce humerum tuum & porta illum*, Deum scilicet, per obedientiam. 2. Habet peccatum ratione inuolun-
Prou. 1. tarij; *Vocaui & renuistis: ego autem in in-*

teritu vestro ridebo. 3. Habet præmium: *Nonne Deo erit subiecta anima mea?* inquit Dauid, *ab ipso enim salutare meum.* 4. Habet supplicium: Sic Antiochus, *Iustum est mortalem non paria Deo sentire, & subiectum esse Deo.* Sic etiã Dæmones subijciuntur ei. *Psal. 61.* *2. Mach. 9.*

2. Perfecta autem obedientia quæ tunc perficitur, quando iuxta Greg. nihil habet suum, debet habere aliquas conditiones. Prima, vt sit prompta, sine cordis murmure, sed lubens & deuota, sicut erat Apostoli; *Domine quid me vis facere?* 2. Vt sit humilis sine contradictione vocis, signi, aut gesti, ne sint *sicut populus qui contradicunt sacerdoti.* 3. Hilaris, festina, sine vultus tristitia, id est, *non* procedat ex *tristitia aut necessitate.* 4. Sit celer sine mora aut dilatione, sed volet ad primam vocis iussionẽ, sicut Andreæ & Petri & Matthæi, qui relictis omnibus sequuti sunt Iesum. 5. Integra sine operis diminutione: Sed omnia faciat quæ Deus præcipit per superiorem. 6. Simplex sine mandati minima discussione aut examine: sic fuit obediẽtia Abrahæ offerentis filium. Septimò, prudens sine manifesto errore, ne homini magis obediatur quàm Deo. 8. Debet esse verax sine fictione, id est, non ad oculum aut verbo obediens & non re. Tandem Nonò perseueranter sine intermissione, in præparatione animi obedientiam vsque ad mortem tenentes, exemplo Christi, qui factus est obediens vsque ad mortem. *Obedientiæ conditiones.* *Act. 9.* *Osee 4.* *2. Cor. 9.*

Occasio. *Vide* quærendus Deus.

Officium Diuinum.

Quid requiratur in diuino officio.

Officium diuinũ vt persolnendum. IN diuino officio ritè aut celebrando aut audiendo ; debet esse vocis alacritas: nam *vox exultationis & lætitiæ est in tabernaculis Iustorum.* (*Psal. 117.*) 2. Operis conformitas ; *non* enim *est speciosa laus in ore peccatoris.* (*Eccli. 15.*) 3. Cordis attentio, ne improperetur illud, *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* (*Esaiæ. 29.*) 4. Recta intentio, vt fiat ad honorem Domini, non causâ vanæ gloriæ: *Omnia in nomine Domini facite,* (*Col. 3.*) inquit Apostolus: & Psal. *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam.* (*Ps. 113.*)

Oratio.

1 *Orationis quæ virtus.*
2 *Oratio quomodo rectè fiat.*
3 *Qui facilè exaudiantur.*

Orationis efficacia. ORatio admirabilis est virtutis, & apud Deum, non solum magni meriti, sed valet etiam Primò ad peccatorum satisfactionem: ratio autẽ satisfactionis consistit in labore corporali, in flexu genuum, eleuatione manuum, & præcipuè in attẽtione aut acquirenda aut cõseruanda. 2. Valet ad

defunctorum absolutionem; *Sancta enim & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* 2. Mach. 12.
3. Valet ad proximorum ædificationem: Sic Christus, *Ego*, inquit, ô Pater, *sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circunstat dixi.* Ioan. 11. 4. Valet ad Dæmonum expulsionem, vi verborum: nam *hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & Ieiunio.* Marc. 9. 5. Valet ad deuotionis in mente excitationem: sic species Christi orantis facta est altera. Luc. 15. 6. Valet ad rerum benedicendarum sanctificationem: Sic Apost. *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*, scilicet quæcunque res. 1. Tim. 4. Tandem 7. Valet ad Dei laudem & confessionem exhibendam: nam *in oratione* quilibet fidelis *confitetur Deo.* Eccli. 29.

2. Debet autem quælibet oratio habere quatuor conditiones. Est enim Primò orandum cum humilitate. *Oratio* enim *humiliantis se penetrat cælos.* 2. Cum puritate mentis & pura conscientia, ne illud Esaiæ verificetur, *Cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam; manus enim vestra sanguine plena sunt.* 3. Cum feruore & deuotione, vt *dirigatur sicut incensum in conspectu Dei.* 4. Cum fide & fiduciali spe postulare debet, in fide nihil hæsitans.

Conditiones. Eccl. 22. Esa. 1. Psal. 40. Iacob. 1.

3. Ad exauditionem flectitur Deus ex authoritate orantis, maximè prælati aut superioris pro subditis; oratio enim potentis coactio quædam est. Sic Dominus

Vt exorandus Deus.

Moysen pro populo orantem exaudiuit,
Exod. 32. *Et placatus est Dominus ne faceret malum*, quod loquutus fuerat. 2. Humilitate
Iudith. 9. orantis, *Humilium* enim *ei semper placuit deprecatio*. 3. Honestate senectutis. Persona enim & loquutio senis magis reuerenda est: sic Christus *exauditus est pro sua*
Heb. 5. *reuerentia*. 4. Afflictione tribulationis: sic
Psal. 119. Dauid, *Ad Dominum cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me*. Maximè si tribulatio, aut passio sit pro iustitia, & veritate, & gloria Dei.

Ordo.

Ordo in quibus obseruandus, vt vitetur confusio.

Ordinis necessitas. ORdo cùm sit debita dispositio partium rei alicuius inter se, necessarius est 1. In dilectione charitatis: ideo dicit
Cant. 2. Sponsa, *Ordinauit in me charitatem*, vt scilicet primò diligam Deum super omnia, & omnia diuina, deinde meipsum propter Deum, & sic tandem proximum, & posteà temporalia, omnia tamen in ordine ad Deum. 2. In vita, vt priùs secundùm spiritum viuamus, deinde corpus moderatè tractetur. 3. In doctrina, vt magis necessaria primò, deinde quæ ad delectationem. 4. In ministerio, ne quis excedat in officio, ad quod vocetur, neque vsurpet sibi officium alienum. 5. In pugna, vt scilicet hosti

in initio resistat, nec tunc repellere conetur, quando iam separatus est. Tandem 6. In præfectura, vt non dominetur in clero, sed forma gregis fiat, & incipiat à se, quod ab alio exequi optauerit.

Osculum.

Plura genera osculorum, sed vnum tantùm imitandum.

MVlti osculantur alios, sed non osculo sancto, de quo Apost. facit mentionem, dicens, *Salutate inuicem in osculo sancto*. Est enim osculum adulatorium, quo Absalon osculabatur populum venientem ad Iudicium. 2. Osculum simulatorium, de quo illud, *Osculor ipse manus, quas truncas cernere velim*: tale erat osculum Ioab, quo osculabatur Amasam, latus eius interim sicâ perforans. 3. Osculum nefarium, & proditorium, quo Iudas osculabatur Iesum: nam *dederat signum, quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum*. 4. Est osculum impudicum, quo mulier osculabatur iuuenem irretitum. Est tandem osculum Sanctum, quod fit pacis & charitatis fomentum, de quo Apost. *Salutate omnes fratres in osculo Sancto*.

Oscula multa.
Rom. 15.
2. Reg. 15.
2. Reg. 20.
Mat. 26.
Prou. 7.
1. Thess. 5.

Oues.

Sancti dicuntur oues.

PRimitiuæ Ecclesiæ filij, sanctique omnes, oues meritò vocantur. Primò propter innocentem simplicitatem. Est enim simplex animal, & sequitur occisorem. 2. Propter patientiæ tranquillitatem, quia ad occisionem ducta non balat neque aperit os suum 3. Propter immolationis per Martyrium idoneitatem. 4. Propter velleris, id est, sanctæ conuersationis fomentum. 5. Propter lactis, id est, doctrinæ propinationem: ex lacte fit butyrum. 6. Propter luporum, id est, Tyrannorum odium & persecutionem; ideo mittuntur vt oues inter lupos. 7. Propter generationis in pectorum conuersione fœcundiatem; sunt enim oues fœtosæ. Octauò tandem propter pastoris æterni obedientiam & agnitionem, quia cognoscunt eum & audiunt vocem eius. Igitur Innocentia est in fundamentum, patientia in triumphum, immolatio in Martyrium, doctrina in documentum, conuersatio in exemplum, persequutio in exercitium, fœcunditas in augmentum, & obedientia in meritum. Talibus ouibus dat Pastor Christus *vitam æternam.*

Ioan. 10.

Panis.

Panis multiplex, præter corporalem, spiritualiter sumendus.

PAnis corporalis corpora nutrit ad vitæ conseruationem, pro quo oramus, dicentes, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. At non in solo pane viuit homo, materiali scilicet, sed etiam spirituali, qui multiplex est. Est enim primò panis intelligentiæ, de quo dicitur, *Cibauit illum pane vitæ & intellectus*. 2. Panis doctrinæ: de quo illud, *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. 3. Est pœnitentiæ, de quo dicitur, *Surgite postquàm sederitis qui manducatis panem doloris*. 4. Est Eucharistiæ, de quo Christus, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*. 5. Consolationis diuinæ, de quo Psalmista, *Panis cor hominis confirmat*. 6. Deuotionis, de quo dicitur, *Aser pinguis panis eius*, &c. *prabebit delicias regibus*. Tandem septimus est refectionis æternæ: De quo dicitur, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*.

Panis corporalis. *Luc. 11.* Panis spiritualis. *Eccli. 15.* *Tren. 4.* *Psal. 116.* *Mat. 26.* *Psal. 103.* *Gen. 49.* *Luc. 14.*

Parentes. Filij.

In quibus filij parentibus teneantur.

ETsi parentibus & præceptoribus iuxta Aristotelem non redditur æqui-

Filiorum erga parentes debitum.

ualens, tamen vt constat ex sacra scriptura, Filij in multis tenentur parentibus. Primò Amorem in cunctis: nam ordo charitatis est vt inter proximos priùs diligamus parentes. 2. Honorem in factis. 3. Seruitutem in obsequiis: nam *Qui timet Deum, quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt.* 4. Sustentationem in necessariis. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione: sic Dominus, *Honora patrem, &c.* quod fit reuerentiam exhibendo & necessaria subministrando. 5. Reuerentiam in verbis, *Patres quidem carnis nostra*, inquit Apost. *habuimus eruditores, reuerebamur eos.* 6. Obedientiam in honestis: qui *non audit Patrem & obedire contempsit, apprehendent eum.* 7. Veniam in offensis. Tandem octauo tolerantiam in aduersis, *Suscipe*, inquit Sapiens, *senectam patris tui & ne contristes eum.*

Eccli. 3. Exod. 20. Heb. 12. Deut. 21. Eccli. 3.

Pati, Patientia, Fortitudo.

1. *Pati debemus tribulationes huius vitæ libenter.*
2. *Patientia nobis necessaria est propter multa bona.*

Tribulationes ferendæ. 1. Pet. 1.

1. Tribulationes huius vitæ libenter pati debemus, sunt enim primò modicæ vt dicit Petrus: *Modicum quid si oportet contristari varijs contribulationibus,*

2. Quia citò transeunt, ideo vocantur *Momentaneum & leue tribulationis*. 3. Quia à tribulationibus futuris liberant, *non enim consurget duplex tribulatio*. 4. Quia in præsenti multas vtilitates afferunt: *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia verò opus perfectum habet*. Sed multi patiuntur, sed differenter. Passus enim est Christus, vt exhibeat misericordiam. Iustus, vt defendat iustitiam. Iniquus, vt impleat malitiam. Damnatus verò, vt eius nequitia puniatur. 2. Cor. 4. Num. 1. Iacob. 1. Heb. 5.

2. Patientiæ autem virtus multa bona facit in patiente. Ipsa enim Primò sine ictu de hoste triumphat, vt patet in Martyribus; qui enim vincit se, vincit omnia facilè. Ideo dicit Salomon, *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*. 2. In morte vitam conseruat: nam id promisit Christus, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. 3. Reum hominem Deo conciliat: *Patientiâ enim lenietur Princeps*, inquit Salomon. 4. Perficit hominem atque consummat: Est enim patientia sicut ignis qui aurum, id est, animum hominis purificat. *Patientia enim opus perfectum habet*. 5. Nauem vitæ nostræ ad portum salutis dirigit & gubernat: *ut enim patiens est, multâ gubernatur sapientiâ*. 6. De possessione regni securitatem præstat. *ut enim persequutionem patiuntur propter iustitiam, ipsorum est regnum cœlorum*. 7. In

Patientiæ bona. Prou. 16. Luc. 21. Prou. 25. Iacob. 1. Prou. 14. Math. 5.

ualens, tamen vt constat ex sacra scriptura, Filij in multis tenentur parentibus. Primò Amorem in cunctis: nam ordo charitatis est vt inter proximos priùs diligamus parentes. 2. Honorem in factis. 3. Seruitutem in obsequiis: nam *Qui timet Deum, quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt*. 4. Sustentationem in necessariis. Eleemosyna enim patris non erit in obliuione: sic Dominus, *Honora patrem, &c.* quod fit reuerentiam exhibendo & necessaria subministrando. 5. Reuerentiam in verbis, *Patres quidem carnis nostra*, inquit Apost. *habuimus eruditores, reuerebamur eos*. 6. Obedientiam in honestis: qui *non audit Patrem & obedire contempsit, apprehendent eum*. 7. Veniam in offensis. Tandem octauò tolerantiam in aduersis, *Suscipe*, inquit Sapiens, *senectam patris tui & ne contristes eum*.

Eccli. 3. *Exod. 20.* *Heb. 12.* *Deut. 21.* *Eccli. 3.*

Pati, Patientia, Fortitudo.

1. *Pati debemus tribulationes huius vitæ libenter.*
2. *Patientia nobis necessaria est propter multa bona.*

Tribulationes ferendæ. *1. Pet. 1.*

1. TRibulationes huius vitæ libenter pati debemus, sunt enim primò modicæ vt dicit Petrus: *Modicum quid si oportet contristari varijs contribulationibus.*

2. Quia citò transeunt, ideo vocantur *Momentaneum & leue tribulationis*. 3. Quia à tribulationibus futuris liberant, *non enim consurget duplex tribulatio*. 4. Quia in præsenti multas vtilitates afferunt: *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia verò opus perfectum habet*. Sed multi patiuntur, sed differenter. Passus enim est Christus, vt exhibeat misericordiam. Iustus, vt defendat iustitiam. Iniquus, vt impleat malitiam. Damnatus verò, vt eius nequitia puniatur. *2. Cor. 4.* *Num. 1?* *Iacob. 1.* *Heb. 5.*

2. Patientiæ autem virtus multa bona facit in patiente. Ipsa enim Primò sine ictu de hoste triumphat, vt patet in Martyribus; qui enim vincit se, vincit omnia facilè. Ideo dicit Salomon, *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*. 2. In morte vitam conseruat: nam id promisit Christus, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. 3. Reum hominem Deo conciliat: *Patientiâ enim lenietur Princeps*, inquit Salomon. 4. Perficit hominem atque consummat: Est enim patientia sicut ignis qui aurum, id est, animum hominis purificat. *Patientia enim opus perfectum habet*. 5. Nauem vitæ nostræ ad portum salutis dirigit & gubernat: *ut enim patiens est, multâ gubernatur sapientiâ*. 6. De possessione regni securitatem præstat. *ut enim persequutionem patiuntur propter iustitiam, ipsorum est regnum cælorum*. 7. In Patientiæ bona. *Prou. 16.* *Luc. 21.* *Prou. 25.* *Iacob. 1.* *Prou. 14.* *Math. 5.*

1. Mach. 3. temporalibus ditat & dilatat: nam Iudæi tempore persequutionis Regis Antiochi possederunt omnia loca, quæ propè & quæ longè erant, consilio & patientia sua. Tandem octauò sapientem demonstrat: *Do-*
Prou. 19. *ctrina enim viri per patientiam noscitur.* Qui enim tentatus non est, quid scit? Eius actus præcipuus non est resistere malis, sed timore compresso animum ad patienda aduersa parare.

Pauperes. Paupertas.
Vide Societas.

1. *Pauperibus multa debemus.*
2. *Paupertas est Alta, Altior, Altißima.*

Pauperes subleuandi. PAuperibus multùm obligamur. Debemus enim ipsis Primò, affectum dilectionis præstare, siuè exhibere, & de mammona iniquitatis eos nobis facere amicos. 2. Dulciloquos esse, quoad affatum oris:
Eccli. 4. Ideo sapiens, *Congregationi pauperum affabilem te facito.* 3. Honorare non de-
Ibid. spiciendo: *Animam enim esurientem despicere non oportet.* 4. Fauere in bono, sicut
Iob. 29. faciebat Iob, qui pater erat pauperum. 5. Defendere à malo: hinc Psalm. *Humi-*
Psal. 81. *lem & pauperem iustificate.* 6. Exaudire
Eccli. 4. clamantes. Ideo Sapiens, *Inclina pauperi sine tristitia aurē tuam.* 7. Liberare patien-
Iob. 29 tes: nam Iob beatus dictus est, *eò quòd li-*

berasset pauperem vociferantem. Tandem *Prov. 3.*
octauò sustentare impotentes: Ideo dicitur, *De primitiis frugum tuarum da pauperibus.*

2. Paupertas gradus admittit, sed quædam est Alta, & est eorum, qui paupertatem suam æquanimiter ferunt, dicentes, *Grapaupertatis.* *Pauperem quidem vitam gerimus, sed habebimus multa bona si timuerimus Deum.* *Tob. 4.* Quædam est Altior, & est eorum, qui paupertatem quasi diuitias, lætanter accipiunt & diligunt, *qui tanquam nihil habentes sicut & omnia possidentes.* *2. Cor. 6.* Quædam tandem Altissima, eorum qui de sua paupertate aliis etiam subueniunt; sic Tobias faciebat.

Pax.

1. *Pax est triplex.*
2. *Pax multa bona facit.*
3. *Pax nostra Christus, & quare.*

1. TRiplicem esse pacem constat ex eo, quòd vna est pax temporalis in mundo, de qua Apost. *Si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes.* *Pax triplex.* *Rom. 12.* Alia est pectoris in corde proprio, de qua, *Et in terra pax hominibus.* *Luc. 2.* 3. Æternitatis in cœlo, de qua Propheta, *Sedebit populus in pulchritudine pacis.* *Esai. 32.*

2. Pax autem multa bona facit, quia primò filios Dei constituit; ideo Christus, *Pacis bona.*

Matt. 5 *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*, &c. 2. In nobis Dei habitaculum facit: nam *in pace factus est locus eius*.
Psal. 75. 3. Oculos mentis ad Dei visionem disponit, *quia sine ea nemo videbit Deum*. 4. Spiritum nostrum Deo iungit; ideo hortatur
Heb. 12. Apost. *Seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*. 5. Bonorum spiritualium abundantiam acquirit, ideo oramus, *Fiat pax in virtute tua*. 6. Deo amabilem reddit: Ideo Salomon pacificus *amabitis Domino* dictus est. 7. Ad æternam requiem perducit, quia cùm venerit illa pax, *requiescet quisque in cubili suo*.
Eph. 4.
3. Reg 12.
Esai. 57.

Christus pax nostra. 3. Pax nostra Christus est, quia primò eam attulit in sua Natiuitate. 2. Docuit in sua prædicatione, quia *loquutus est pacem ad plebem suam*. 3. Tenuit in sua conuersatione: 4. Suis indixit secreta monitione: *Pacem habete inter vos*. 5. Fecit in sua passione. *Quia disciplina pacis nostra super eum* 6. Obtulit in sua Resurrectione: *Pax*, inquit, *vobis*. 7. Dedit in sua Ascensione, quia pacem reliquit discipulis. 8. Quærit in conscientiæ puritate: *in pace enim factus est locus eius*. Tandem nonò *rogat ea quæ pacis sunt*, in peccatoris reconciliatione, quæ durabit in æterna fruitione: Tunc *enim declinabit super animas flumen pacis*.
Luc 2.
Psal. 84.
Matt. 9.
Esai. 53
Ioan. 20.
Ioan. 14.
Psal. 75.
Psal. 121.
Esai. 66.

Peccator, Peccatum, Mali.

1. *Peccatores multi, sed non omnes eodem modo peccantes.*
2. *Peccator comparatur dormienti.*
3. *Peccator multis nominibus denotatur in scriptura.*
4. *Peccatores dicuntur mortui.*
5. *Peccator similis bestiæ.*
6. *Peccatores sustinet Deus in multa misericordia in præsenti.*
7. *Peccator quo modo liberetur à peccato.*
8. *Peccatum quatuor mala facit.*
9. *Peccati qui effectus.*
10. *Peccatum fallit & decipit peccatorem in multis.*
11. *Peccatum est à tribus, & augetur à lege.*
12. *In peccato tria.*
13. *Peccatum causat sex.*
14. *In peccato non permanendum.*
15. *Peccata dimittuntur variis modis.*
16. *Peccata dicuntur opera tenebrarum.*

1. ETsi nemo mundus à sorde peccati, tamen non omnes eodem modo actualiter peccant. Quidam enim peccant, sed agunt pœnitentiam; & hi sunt imperfecti, sicut filius prodigus, & de horum conuersione gaudendum, vt docet Christus. Alij peccant, non tamen agunt *Luc. 15.*

Varij peccatores.

pœnitentiam, & hi sunt reprobi de quibus Hieremias, *Nemo est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci?* 3. Non peccant, & tamen agunt pœnitentiam. Hi sunt viri perfecti prout Iob, qui faciebat *Pœnitentiam in fauilla & cinere.* Et cum his est supererogandum. Alij 4. sunt, qui in peccatis iacent, vt qui in ijs manere proponunt. De quibus Hieremias, *Iacuerunt in terra foris.* Et Alius Propheta, *Computruerunt iumenta in stercore suo.* 5. Quidam sedent in peccatis, id est, qui ex parte remanent & in parte surgunt, & sunt sicut illi, qui dum manna haberent, tamen suspirabant ad ollas carnium Ægypti. Quidam 6. stant, qui quidem à futuris abstinent, sed de præteritis non satisfaciunt: *Sic stabat Dathan & Abiron.* 7. Quidam ambulant, qui paulatim in peccatis proficiunt: De quibus Apost. *Multi enim ambulant, de quibus dicebam vobis.* 8. Tandem Quidam currunt, qui scilicet per quæcunque scelera passim ruunt. Et sunt, qui iuxta Prophetam, *Currunt aduersus Deum erecto collo:* De quibus dicitur, *Pedes eorum ad malum currunt.*

Hier. 8. Iob, 42. Tren. 2. Ioel. 1. Exod. 16. Num. 16. Phil. 3. Iob. 15. Prou. 1.

Peccatores sunt dormientes.

2. Comparatur autem omnis peccator dormienti, primò quia habet impeditos oculos in actu videndi. 2. Aures in officio audiendi. 3. Nares ab officio odorandi, idest, futura præsentiendi. 4. Os ab actu confitendi. 5. Pedes ab actu ambulandi. 6. Ma-

6. Manus ab actu operandi. Quæ omnia Dauid vno verbo complexus est: *Oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Os habent & non loquentur, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.* Psal. 113.

3. Peccator multis nominibus nominatur in scriptura. Primò Cæcus, quia irrationabiliter de rebus iudicat. Ideo Propheta, *Ambulauerunt vt cæci, quia Domino peccauerunt.* Iudicant præferendo æternis temporalia, & creaturas Deo, vt voluptates virtutibus. 2. Insensati, quia irrationabiliter de bonis iudicant, putant afflictos in hac vita esse miseros, & voluptuosos fœlices sic illi: *nos insensati vitam illorum*, id est, pauperum & afflictorum, *putabamus esse insaniam*, &c. 3. Insani, quia irrationabiliter de malis exultant, iuxta illud, *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* 4. Infatuati, quia irrationabiliter in malis perseuerant ignorantes finem suum. 5. Stulti, quia irrationabiliter verba proferunt: Sicut mulier Iob, *Quæ quasi vna de stultis mulieribus loquuta fuit*, inducens maritum afflictum ad desperationem. 6. Furiosi, quia sine ratione operantur & viuunt, quia iuxta Psalmistam, *Furor est illis secundùm similitudinem serpentis.* Tandem 7. Dicuntur ignari, quia irrationabiliter Deum voluntariè ignorant, & fu-

Peccatoris nomina. Soph. 1. Sap. 5. Prou. 2. Iob. 2. Psal. 57.

Sap. 2. giunt: hoc fatentur ipsi, *Ergo errauimus à via veritatis & lumen iustitiæ non illuxit nobis*, &c.

Mortui. 4. Dicuntur præterea peccatores mortui. Primò, quia carent Spiritu sancto inhabitante, ideo vocat eos Iudas, *Animales spiritum non habentes*. 2. Carent vita gratiæ, qua priuantur morte peccati. 3. Carent sensu sapientiæ, quia verberantur & vulnerantur in conscientia, & non dolent, tra-
Prou. 23. huntur, & non est sensus. 4. Quia carent motu operationis bonæ: nam id fit iusto
Exod. 15. Dei iudicio, vt maneant immobiles quasi lapis.

Similes bestiis. Psal. 48. 5. Non immeritò dicitur peccator bestiæ similis: *Non intellexit cùm in honore esset*, inquit Regius Propheta, *comparatus est iumentis insipientibus*. Primò quia non vtitur ratione discretè eligendo, vt patet. 2. Quia ad terram inclinatur, terrena diligendo: *Oculos suos*, inquit Psalm.
Psal. 17. *statuerunt in terram*. 3. Quia impetu fertur, carnis concupiscentiam sequendo: hinc Propheta, *Omnes bestiæ agri ludunt*
Hier. 5. *ibi*, scilicet in carnis concupiscentia. 4. Quia ad cœlum non conuertitur, vt vi-
Dan. 13. deat cœlestia, sed *Auerterunt oculos suos ne viderent Cælum*. 5. Quia ira & furore rapitur, alios lædendo: Ideo Dauid, *De ore*
Psal. 21. Psal. 56. *leonis libera nos Domine*. Et, *filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. 6. Quia vitam aliam nescit desperando: nam sic ipsi dicunt,

Non est reuersio finis nostri. Tandem 7. *Sap. 2.*
Quia corpore & anima voluntariè perit
moriendo, vitam, viciis accelerando mor-
tem, amittendo. Sic sæpè *Descendunt in* *Psal. 54.*
infernum viuentes, vbi *mors depascet* *Psal. 48.*
eos.

6. Sustinet verò diuina misericordia in *Patientia Dei erga peccato-res.*
multa patientia peccatores in præsenti.
Primò vt eos prouocet ad pœnitentiam,
vt patet per Salomonem. 2. Vt iustiùs po- *Sap. 11.*
stea monstretur inferre pœnam: *Deus*
enim *iustus, fortis & patiens, nunquid* *Psal. 7.*
irascetur per singulos dies? 3. Vt nos infor-
met ad similem patientiam: *Docuisti* enim, *Sap. 12.*
inquit Salomon, *populum tuum per talia*
opera, quoniam oportet Iustum esse & hu-
manum. 4. Vt purget bonos per eorum *Esai. 10.*
malitiam: ideo Dominus, *Va Assur Vir-*
ga furoris mei. 5. Vt in hoc ostendat
clementiam suam, vnde Apost. *Sustinuit* *Rom. 9.*
in multa patientia vasa iræ apta in interi-
tum. 6. Vt in futuro augeat spem no-
stram, vt bene sapiens, ex hoc quod pec-
cator per patientiam expectatur. *Ego co-* *Eccle. 8.*
gnoui, quod erit bonum timentibus eum, &c.
Tandem septimò, vt prouocet ad laudem
suam: *Confitemini Domino, & exaltate* *Psal. 107.*
nomen eius.

7. Liberatur autem quis à peccato, & *Liberatio à peccato.*
peccati iugo. Primò per suffragia sanctorũ
sicut homo per merita & preces amicorũ,
Recordatus. n. est Dominus Abraham & libe- *Gen. 19.*
rauit Loth. Sic precibus Moysis populus à *Exod. 32.*

dilecto vituli mundatus est. 2. Per Bene-
Tob. 4. ficia Eleemosynarum : *Eleemosyna enim ab omni peccato & à morte liberat*. 3. Per
Iob. 37. supplicia corporum: Sic apud Iobum, *Inueni in quo propitier ei*; *consumpta enim est*
Rom. 9. *caro eius à suppliciis*. 4. Per diuinum beneplacitum ; *non enim est currentis aut volentis*,
Eccli. 9. *sed miserentis Dei*. Quintò per sensum discretionis: Nam *Sapientia Iustum pereuntibus impijs liberauit*. Sextò per ver-
Exod. 3. bum supplicationis : *Vidi afflictionem*, inquit Dominus, *populi mei*, *& audiui clamorem eius*. Tandem 7. Per iudicium æqui-
Prou. 10. & 11. tatis: *Iustitia enim à morte liberat*, *& Iustus de angustia liberatus est*.

Peccati damna. 8. Peccatum autem quatuor mala facit. Primò vilificat peccatorem, propter maculam. 2. Separat à Deo propter offensam. 3. Multiplicat peccatum, peccando sæpius propter defectum gratiæ. 4 Tandem Damnificat corpus & animam, propter reatum pœnæ.

Effectus peccati. 9. Plures autem sunt peccati effectus. 1. Malè delectat, quia est dulce venenum, quod sumptum occidit. 2. Excæcat oculos mentis, sicut peluis candens oculorum visum debilitat. 3. Ligat rationem & consensum in peccata, & tentationes, & ad opus bonum. 4. Captiuat, quoad reatum & seruitutem despoticã. Tandem Subiugat, quoad actus frequentatos, qui quia consuetudine inueterata continuantur, mancipium reddit miserum hominem peccatorem.

10. Peccatum autem fallit & decipit hominem in multis. Primò, quia fantastica facit apparere vera: nam honores mundi putat esse verum, cùm omnis honor à virtute procedat. 2. Mala facit videri bona, dicentes, *Bonum malum, & malum bonum*. 3. Caduca facit videri durabilia, cùm nihil stabile sub sole, & *transeat mundus & concupiscentia eius*. 4. Recta facit videri obliqua. Sic fallebatur Elymas magus. Nulla via rectior quàm virtutis, quæ ducit ad gloriam: sic nulla tortuosior via quàm peccatorum, cuius *nouissima ducunt ad infernum*. 5. Leuia facit grauia: *Mandata eius*, inquit S. Ioan. *grauia non sunt*: omnia vincit amor: nam *plenitudo legis est dilectio*. 6. Facit mortifera videri sana. Sic fructus ligni vetiti videbatur pulcher aspectu, qui tamen gustatus attulit mortem. Tandem 7. Obscura facit videri lucida, vt est sacra scriptura, & Diabolicæ suggestiones aliquando putantur esse à Deo, & sunt à Diabolo, transfigurante se in Angelum lucis.

Peccati fallacia. Esai. 5. 1. Ioan. 2. Act. 13. Prou. 16. 1. Ioan. 5. Rom. 13.

11. Est autem peccatum originaliter à quatuor. Primò à Diabolo suggerente. *Mitte te deorsum*, inquit. 2. A concupiscentia incitante: *Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum*. 3. Ab homine per liberum arbitrium consentiente: *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum*. 4. Ab ipsa lege prohibente peccatum, sed non vt causa, sed per modum occasionis,

Peccati origo. Matt. 4. Iac. 1. Rom. 7.

quare dicitur peccatum à lege auctum? Primò quia prohibitio & iussio desiderium magis inflammant; iuxta illud, *Nitimur in vetitum, cupimusque negata*. 2. Quia ex imaginatione concupiscentia excitatur ad appetendum vetitum. 3. Quia ex prohibitione Diaboli inuidia magis prouocatur. Tandem 4. Quia simplici peccato præuaricatio, quæ est transgressio legis scriptæ, committitur.

Peccatum comitantia. 12. Sunt autem in peccato octo. Primum macula, qua anima defœdatur & deformatur. 2. Offensa, qua à Deo separatur, & Diabolo traditur punienda. 3. Reatus, quo æternæ pœnæ addicitur. 4. Delictum, eò quòd recedere facit à gratia. 5. Vitium, id est, defectus bonorum naturalium. 6. Scelus, propter iniuriam Dei magnam. 7. Crimen, prout est dignum accusatione. 8. Peccatum, tandem dicitur prout est auersio à fine, id est, à Deo.

Consequentia peccatũ. 13. Ex dictis patet, quòd pecatum causat, Primò offensam contra Deum. 2. Obligationem ad supplicium. 3. Maculam, quoad animam propriam. 4. Pronitatem ad malum. 5. Difficultatem ad bonum. 6. Exemplum malum, ex delectatione voluptatum.

Peccati pericula. 14. Quare exeundum est de statu peccati & in eo non manendum, quia Primò peccati status est lacus immundus. 2. Quia tenebrosus. 3. Quia angustus, propter cordis constrictionem & conscientiæ

cruciatum. 4. Penuriosus ex defectu gratiæ. 5. Periculosus, quia singulis momentis datur occasio peccandi. 6. Lubricus, vbi nemo stat, sed omnes iacent casu. 7. Quia suspectus, qui enim semel fecit malum, semper præsumitur fecisse, donec se emendet. Tandem octauò, quia est status desertus à Deo, ab Angelis, ab Ecclesiæ suffragiis, & sæpè piorum hominum, quos offendit aut vexat, auxilio.

15. Dicuntur autem peccata quandoque mundari siue purgari, sicut orabat Dauid, *A peccato meo munda me.* 2. Quandoque tegi siue operiri, quoad infamiam & verecundiam: nam *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 3. Quandoque deleri, quoad notam animæ derelictam: hinc Psalm. *Omnes iniquitates meas dele.* 4. Quandoque dimitti, siue remitti, quoad pœnam debitam: sic dictum est Paralitico, *Remittuntur tibi peccata tua.* 5. Quandoque non imputari siue obliuisci, quoad rationem reddendam; vnde Dauid, *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatū.* 6. Quandoque solui, quoad impotentiam ex peccato relictam: Sic Christus, *Quæcunque solueritis super terram.* 7. Quandoque redimi, quoad seruitutem Diabolicam: ideo dicitur, *Peccata tua Eleemosynis redime.* 8. Quandoque transferri, quoad existentiam, iuxta illud Nathan, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

Variè dimittuntur peccata. *Psal. 50.* *1. Pet. 4.* *Supra.* *Matt.* *Psal. 31.* *Matt. 16.* *Dan. 4.* *2. Reg. 12.*

Opera tenebrarũ. 16. Tandem peccata dicuntur opera tenebrarum. Quia primò in se sunt tenebræ: *Tenebræ*, inquit, *iam transierunt*, & verum lumen iam lucet. 2. Quia ex tenebris ignorantiæ procedunt, nos quippè inuoluimur tenebris. 3. Quia peccans tenebras amat; *Qui enim malè agit, odit lucem*. Tandem 4. Quia ad tenebras ducunt æternas. *Proijcite in tenebras exteriores*. Væ ergo peccantibus.

1. Ioan. 2. *Iob. 37.* *Ioan. 3.* *Matt. 22.*

Pœna, Infernus.

Pœna est quadruplex; sed inferni est multiplex.

Pœna multiplex. POEna, quæ animam affligit (nam de corporali hîc non agimus) est quadruplex. Prima æterna & acerba, quæ est gehennæ. 2. Æterna sed non acerba, & est pœna limbi. 3. Acerba sed non æterna, vt pœna purgatorij. 4. Nec acerba nec æterna, & est pœnitētia & austeritas, pro peccatis voluntariè assumpta. Pœna autem gehennæ, quæ est in inferno, est multiplex, (Inferni pœna.) quia continet in se summum malum, cui nullum deest malum. Est enim primum, ipse Infernus, qui est carcer, qui nunquam aperietur, dicente Propheta, *Congregabuntur in congregatione vnius fascis, & claudentur ibidem in carcere*. 2. Erit ibidem horror consortij: *Occurrent*, inquit idem Propheta, *dæmonia, Onocentauris, & pi-*

Esai. 24. *Esai. 14.*

Iesus,&c.3. Ignis gehennæ, *quia impij mittentur in stagnum ignis.* 4. Pœna vermis conscientiæ,qui non morietur,&c.5. Carentia æterna diuinæ visionis: *Non* enim *videbit impius gloriam Dei.* 6. Subtractio lucis; nam erunt tenebræ exteriores ; nam interiores sunt peccatum & ignorantia. 7. Defectus solatij ; non enim erit , qui consoletur , sed omnia dolorem augebunt. Tandem octauò , Desperatio remedij , quam facit æternitas. O , ô, ô, æternum , & æternitas ! *Apoc.20.* *Esai.26.*

Pœnitentia.

1. *Ad pœnitentiam mouent sex.*
2. *Pœnitentia est quoddam iudicium.*
3. *Pœnitens debet habere tria.*
4. *Effectus pœnitentiæ sunt septem.*
5. *Non pœnitentes subeunt multa incommoda.*

1. AD pœnitentiam subeundam , Primò mouet tempus impensum : formica enim & *miluus in cælo agnouerunt tempus.* Quare de impio dicitur, *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret , & noluit pœnitere.* 2. Documentum sapientum : Hinc Iob , *Audite quæso sermones meos , & agite pœnitentiam* , & sic in lege naturæ. In lege verò scripta Moyses , *Anima* , inquit , *quæ intellexerit peccatum , aget pœnitentiam.* Motiua pœnitentiæ. *Hier. 8.* *Apoc. 2.* *Iob. 21.* *Leu. 5.*

Luc. 19. In lege gratiæ Christus, *Nisi pœnitentiam*
Act. 2. *egeritis, simul peribitis.* Idem Petrus dicit.
3. Exemplum Sanctorum; Iob, *Idcirco pœ-*
Iob. 42. *nitentiam ago in fauilla & cinere.* 4. Præ-
sens commodum, quod est diuina mise-
ricordia: *Altissimus enim odio habet pecca-*
Eccli. 12. *tores, & misertus est pœnitentium.* 5. Futu-
rum præmium: *Pœnitentiam agite*, inquit,
Matt. 3. *Appropinquat regnum cælorum.* Tandem naturale dictamentum. Rationi enim consonum est, vt qui malè faciat, pœniteat.

Pœnitentia est Iudiciũ. 2. Pœnitentia verò est ad instar Iudicij cuiusdam. Nam Iudex est ipse homo. Tribunal siue solium, est ratio, Carnifex est timor & sæpè conscientia. Accusatrix cogitatio. Testis est conscientia, quæ testimonium reddit, Sanguis lachrymæ. Sententia verò est absolutio peccatorum. Et sic abluet Dominus sordes filiarum Sion in spi-
Esai. 4. ritu iudicij & ardoris.

Pœnitentis actus. 3. Pœnitens debet habere tria. Primò dolorẽ in contritione: *Sacrificium* enim *Deo spiritus contribulatus.* 2. Pudorem in con-
Psal. 50. fessione. 3. Laborem in satisfactione.

Effectus pœnitentiæ. 4. Effectus autem pœnitentiæ veræ sunt in primis sollicitudo emendandi. 2. Defensio contra tentationes, per armaturam
Eph. 6. Dei. 3. Indignatio contra fœditatem peccati. 4. Timor recidiui; alioqui sine isto
Eccli. 27. timore, *citò subuertetur domus tua.* 5. Desiderium proficiendi. Concupiscere enim
Psal. 118. debet Iustificationes Dei. 6. Æmulatio

boni exempli, vt Magdalenæ, &c. Tandem 7. Vindicta in castigatione corporis sui. Sic Apostolus. *1. Cor. 9.*

5. Qui pœnitentiam negligit aut contemnit, multis incommodis se subiicit; nam Primò omnium, gloriam amittit, *Mouebo*, inquit Christus, *candelabrum tuum de loco tuo.* 2. Gratiam contemnit: hinc Apost. *An diuitias bonitatis eius contemnis?* 3. Miseriam incurrit, vt patet in Manasse, qui captus multo vinculo ferri pœnituit. 4. Sententiam contra se expectat: nam *Secundùm impœnitens cor thesauriZant sibi iram.* 5. Tandem gehennam sibi vindicant: nam *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Impœnitentiæ mala. *Apoc. 2.* *Rom. 2.* *Rom. 2.* *Luc. 13.*

Percussio.

Percussio quadruplex.

QVatuor modis fit percussio, quorum prima est verbi inordinati per linguam. *Venite*, inquiunt impij, *percutiamus eum linguâ.* 2. Mali exempli, quo aliqui conscientias aliorum percutiunt, peccando. 3. Est percussio flagelli; pater enim sic *percutiens filium virgâ, non occidet.* 4. Est percussio gladij, quo *Simon Petrus amputauit auriculam Malchi*, & hæc à principibus, & Iudicibus legitimè institutis tantùm fieri potest. Percussio multiplex. *Hier. 18.* *2. Cor. 8.* *Prou. 23.* *Ioan. 18.*

Perfectio, Imperfectio. *Vide* Amor. Homo. *Vide* Sancti.

Perfectio multiplex est, & consistit in multis.

Perfectio quid & quotuplex. PErfectio est summæ bonitatis gradus cuiusque rei. Et est Primò quædam naturæ, quæ consistit in consummatione bonitatis rerum creatarum, secundùm speciem & proprietatem rei. De ista dici-
Gen. 1. tur, *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* 2. Est Innocentiæ, & consistit in rectitudine spirituum. 3. Est sufficientiæ in impletione mandatorum:
Gen. 6. sic *Noe fuit perfectus in generationibus suis* 4. Abundantiæ siue supererogationis: ideo.
Mat. 19. Christus ad adolescentem, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes.* 5. Conscientiæ, & cõsistit in confidentia merito-
1. Ioan. 4 rũ: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* 6. Redundantiæ, & consistit in prærogatiua
Psal. 88. donorum. Vt patet in B. Virgine; ideo comparatur *Luna perfecta in æternum.* 7. Excellentiæ, & consistit in virtutibus gratiarum. 8. Est doctrinæ, & consistit in eminentia documentorum. Tandem est perfectio gloriæ, quæ consistit in magnitudine præmiorum.

Plagæ Dei, siue flagella Dei.

1. *Quatuor plagas siue flagella habet Deus quibus mundum flagellat, & quomodo auerti possunt.*
2. *Quando timendum futura proxima flagella siue plagas Dei.*

1. OCto genera pœnarum posuit princeps oratorum Tullius Cicero in legibus Romanis; scilicet damnum in mobilibus vel immobilibus, vincula, verbera, ignominia, exiliũ, pœna talionis, seruitus, & mors, quæ omnia etsi emanent à Deo originaliter, & ab æterna lege, quæ est in mente diuina; tamen quatuor plagas seu flagella habet Deus, ad quæ omnia genera pœnarum reducuntur, scilicet gladium siue bellum, famem siue omnium rerum ad vsus humanos carentiam, pestilentiam, & bestias malas. Et quamuis hæ pœnæ prædictæ quandoque proueniant ex naturalibus causis, vt bellum, ex dispositione stellæ Martis, inclinantis ad iram reges & principes; fames verò, ex siccitate terræ, & pestilentia ex corruptione aëris, & indispositione corporum; tamen sæpè sæpius iusto Dei iudicio hæc flagella hominibus infliguntur, vt patet ex Ezech. & alijs locis. Causæ autem speciales, ex parte Dei immissorum flagellorum, aut plagarum, ex sacris litteris constant. Flagella Dei. *Ezech. 14.*

Bellorum causæ. Nam bellorum causæ, Prima fuit ambitio, vt patet in Absalone. 2. Rebellio populi in optimos principes; vt patet ibidem in rebellione populi cum Absalone, & Zeba filio Bochri. 3. Superbia & Auaritia principum, qui non contenti suis limitibus, dũ semper Augusti volunt esse, semper sunt iniusti. 4. Contemptus religionis & honoris ac cultus diuini, inter quæ annumero hæreses, quæ omnes sunt sanguinariæ & Catholicorum sanguinem sitiunt. Quæ verò mala bellum secum ferant satis eheu! experientia scimus, dum videmus regna desolata, ciuitates destructas, populum emigrantem, vrbium & Ecclesiarum euersionem, Cleri deiectionem, homicidia, viduarum & pupillorum expilationem, & perditionem.

Belli mala.

Famis causæ. 2. Plaga est fames, cuius causa Prima est obduratio, & immisericordia in pauperes. 2. Excessus in gula, & saturitas panis. 3. Excessus in vestibus, in bonorum dilapidatione, ex quibus saturati plurimi recalcitrant, quare in ijs quæ peccant puniuntur: *Incrassatus* enim *est dilectus, & impinguatus recalcitrauit.* 3. Est pestilentia: Cuius causæ, Prima fuit præceptorum Dei transgressio, vt patet. 2. Detractio & obmurmuratio in Deum, scrutatio nimia & curiosa diuinorũ iudiciorum. 3. Gloriatio & lætitia in scelerũ impunitate, & nimius & carnalis amor parentum, proliũ & huius vitæ quẽ Deus aufert, crebra mortalitate posita ob oculos mortaliũ, vt dispo-

Deut. 32. *Leuit. 26.*

Pestilentiæ causæ.

nant domui suæ. 4. Est immissio bestiarum quæ fruges exedunt, agros & fructus arborum demoliuntur propter dierum Sabbathorum violationem, & inobedientiã Pastorum & Sacerdotum, de quibus meritò illud dicitur, *Facies sacerdotum non erubuerunt.* Auertũtur autẽ hæ plagæ & placatur diuina ira, primò precibus Sanctæ matris Ecclesiæ quæ in sua necessitate ad spõsum recurrit flexis genibus, & lacrymis piorũ, veluti altera Esther, gratiã impetrat. 2. Humili confessione peccatorum & culparum, cum gemitu & lachrymis cordis. Sic dictũ est Tobiæ, *Quando orabas cum lachrymis*, &c. 3. Pœnitentiæ operibus, in cinere & cilicio, vt patet in Niniuitis. Tandem 4. Intercessione Beatæ semperque Virginis Mariæ & omnium Sanctorum.

Thren. 5. Modus auertendi flagella. *Esther.* *Tob. 12.*

2. Signa autem quòd proximè adfutura sint huiusmodi flagella, sũt abũdantia iniquitatis, & impunitas peccandi, & vniuersalitas peccantium, & studium peccandi, & grauitas peccatorum commissorum: hæc omnia ostendunt iram proximam. Quare his iniquissimis temporibus, *præoccupemus faciem Domini in confessione.*

Signa flagellorum Dei.

Præceptum. *Vide* Mandatum.

Prædestinatio.

Quid sit prædestinatio, & quomodo non imponit necessitatem, & an liceat dicere, Quidquid fecero si sim prædestinatus saluabor, &c.

Prædestinatio quid.

DE Prædestinatione in suggestu pauca dicere expedit propter profunditatem diuini consilij in electione prædestinatorum; hoc vnum scire sufficit, quòd *non est volentis aut currentis, sed miserentis Dei*. Quæ ergo dici tutò possunt spectant ad descriptionem istius vocis, *Prædestinatio*. Est etenim descriptio hæc quadrimembris. Prima est, *Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei*. 2. *Prædestinatio est præordinatio alicuius ad gloriam*. 3. *Prædestinatio est propositum miserendi*. 4. *Predestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*. Apostolus posuit quatuor spectantia ad Prædestinationem, scilicet, *vocationem, iustificationem, prædestinationem, & magnificationem*. Vocatio retrahit à malo. Iustificatio respicit initiale bonum gratię. Predestinatio respicit finale bonum gratiæ, quæ est gloria. Magnificatio verò, est adeptio boni æterni in gloria. Aut aliter prædestinatio per gratiam gloriam præparat; Vocatio gratiam offert; Iustificatio gratiā confert: sed Magnificatio per gloriā gratiam consummat. Inter prædestinationem & præscientiam (quarum hæc spectat ad reprobos, illa verò ad electos) est talis differentia: quòd prædestinatio est præcognitio bonorum cum causalitate eorundem; præscientia verò dicit præcognitionem respectu malorum, sine causalitate, quæ potiùs residet penes liberum arbitrium malorū.

Author Compendi, lib. 1. cap. 2.

Præsciētia quid.

Stultus

Stultus igitur est, qui dicit: Faciam quidquid libet, quia si saluari debeã, saluabor, vel si damnari debeam, damnabor. Sicut stultus esset infirmus qui diceret, Volo comedere & bibere quod placuerit, quia si curari debeo, curabor, vel econtrà.

Prædicator. *Vide* Propheta.

Qualis debeat esse bonus prædicator in vita, in officio, & quomodo verbum proponet vtiliter. Comparantur ministri hæreticorum cum Catholicis verbi Dei præconibus.

DE prædicatoribus dicere non conuenit coram populo; maximè quæ odiosa sunt, cùm per hoc verbum Dei vilipenditur. *Restat enim*, inquit Greg. *vt cuius vita contemnitur, eius doctrina contemnatur.* Expedit tamen, vt populus sciat eorum dignitatem, authoritatem, & potestatem, quam à successoribus Apostolorum obtinent, tanquam certum suæ legitimæ missionis & assumptionis signum, vt veros ministros verbi à falsis & hæreticis agnoscant & discernant. Debet ergo diuini verbi prædicator, primò terrena contemnere cum Apostolo Petro, *Ecce*, inquit ille, *nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* 2. Solis spiritualibus vacare: nam vt rectè Apost. *Nemo militans Deo implicat se secularibus negotijs.* 3. Carnem do-

In pastorali.

Boni prædicatoris officia.

Matt. 19.

2. Tim. 2.

mare: Sic enim magnus ille prædicator &
1. Cor. 9. doctor gentiũ, *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne dum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* 4. Carnalibus pa-
Gal. 2. rentibus renuntiare: Sic Apost. *Cum autem placuit ei qui me segregauit ab vtero matris vt reuelaret filium suum in me, continuò non acquieui carni & sanguini.* 5. Studio Sanctarum scripturarum intendet; sic instruxit Timoth. Discipulum Apostolus, *Dum*, inquit, *venio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* 6. Peccatis & miserijs hominum compati & subuenire: sic ille
2. Cor. 11. Apost. *Quis infirmatur & ego non vror?* 7. Tandem pro his quibus prædicat, Deũ assiduè orare. Sic Apòst. *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Eant nunc hæretici, & discant se Pseudoprophetas; qui ne vnum ex istis requisitis habent. Quod si attendant qualis debeat esse prædicator in officio prædica-
Prædicatoris elogia. tionis, statim apparebit quãtâ præferentiâ excedant Catholici Doctores, vocat eos Apostolus Primò milites: *arma*, inquit,
2. Cor. 10. *militia nostra.* 2. Architectos propter officium construendi & ædificandi, *vt sapiens*
1. Cor. 3. *architectus fundamentum posui*, 3. Ministros,
1. Cor. 4 dispensatores: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores*, qui debent esse prudentes, mundi, strenui, fideles in verbo, & famosi per bonam in vita & conuersatione opinionem. Vtiliter au-
Qualiter debeant prædicare. tem Verbum Dei dispensabit prædicator,

si prædicet sic, vt sanctum non det canibus; si in medio Ecclesiæ, non in angulis; si tempore oportuno, & vtilia; non suum verbum, non vitia, sed virtutem feruenter, & ad honorem Dei, & ad salutem animarum, non autem aut propter lucrum, aut propter vanam gloriam, proponat.

Prælatus, Pastor, Superior.

1. *Prælati & superiores honorandi, & à subditis tolerandi.*
2. *Prælatus quid debeat respectu subditorum quoad Deum.*
3. *Quid debeat subditis respectu suiipsius.*

1. QVomodo superiores honorandi, patet ex eo loco vbi Dominus præcipit, *qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morte moriatur.* Sed aduertere oportet quòd superiores & prælati maximè sunt honorandi, quia sunt Christi vicarij in terra, ministri Christi & vindices ad iram infligendam, per pœnalia. 2. Legati Christi. sic Apost *Pro Christo* inquit *legatione fungimur*, &c. 3. Dispensatores in domo Dei, vt patuit suprà. 4. Angeli Domini; nam *Angelus Domini Dei exercituum est sacerdos.* 5. Sunt Patres nostri, quos honore prosequi oportet. 6. Sũt colũnæ cœli. Nã *illi contremiscunt ad nutũ eius*,

Superiores honorandi. *Deut. 17.* *Rom. 13.* Sacerdos. *Malach. 1.* *Exod. 20.* *Iob. 26.* *Philip. 2.*

7. Luminaria mundi: nam sic Christus eos intitulauit, *Vos estis lux mundi.* Tandem
Matth. 5. Octauò iudices sunt seculi qui etiam *An-*
1. Cor. 6. *gelos iudicabunt, quantò magis secularia?*
In quo honorã-di. Quare in hoc honorandi, quòd supportari debeant, necessaria eis ministrando, quia dant spiritualia. 2. Defectus eorum tolerando. 3. Onera Obedientiæ imposita æqua mente suscipiendo. Et 4. Pro eis iugiter orando.

Officium Prælati. 2. Debet Prælatus Deo, respectu subditorum primò intercessionem pro malis
Exod. 32. amouẽdis, sicut Moyses. 2. Orationem pro
1. Reg. 12. bonis adipiscẽdis, sic Samuel, *Absit*, inquit, *à me vt cessem orare pro vobis ad Dominum.* 3. Gratiarum actionem pro bonis
1. Thess. 1. collatis, *Gratias agimus Deo*, inquit Apost 4. Consultationem pro dubijs diri-
2. Paral. 20. gendis: *Hoc habemus residui, cùm ignoramus quid agere debeamus, vt oculos nostros ad te dirigamus.* Tandem 5. Oblationem,
Exod. 32. pro delictis expiandis. Sic Moyses; *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti.*

3. Respectu subditorum debet esse exemplum in operando, sic Christus, *Exem-*
Ioan. 13. *plum dedi vobis* Et Apostolus, *Imitatores*
1. Pet. 5. *mei estote.* 2. Forma in conuersando: *forma facti gregis.* 3. Liber in cognoscendo. 4. Lux in instruendo. 5. Speculum in recipiendo omnium vultus. Tandem 6. vt regula in dirigendo.

Præparatio animi.

Ad quæ in corde semper parati esse debemus.

QVia Deus semper respicit cor, semper in præparatione animi parati esse debemus. Primò ad largiendum temporalia, quando suppetunt nobis. 2. Ad emendam delictorum; sic Dauid in flagella paratus erat. 3. Ad exequendum mandata: Sic idem Propheta, *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* 4. Ad resistendum in pugna: nam Diabolus paratum aggrediens, fugit. *Resistite Diabolo,* inquit D. Iacob. & *fugiet à vobis.* 5. Ad sustinendum in pœna: Sic vnus ex Machabæis fratribus, *Parati sumus magis mori quàm leges Dei prauaricari.* 6. Ad suscipiendum Dominum in animam: sic Psal. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Tandem Septimò, Ad ipsum imitandum in itinere ad gloriam: nam *quæ paratæ erant* virgines sapientes, *intrauerunt cum eo ad nuptias.*

Præparatio cordis

Tobiæ.

Psal 37.

Ps. 118.

Iacob. 4.

2. Mach. 7

Psal. 56.

Matth. 25

Probatio.

Probatur homo à Deo, à seipso, & à proximo.

PRobatur vnusquisque fidelis à Deo. Primò vtrum sit fidelis in credendo.

Probatio à Deo.

Gen. 22. Sic tentatus fuit Abraham, dum filium eius Deus iussit immolari, per quem benedictionem accepturus erat. Sic fideles de quibus dicit D. Petrus, *Vt probatio fidei* 1. Pet. 1. *vestra* &c. 2. De vera iustitia: sic Propheta Regius, *Probasti cor meum & visitasti nocte,* Psal. 16. *& non est inuenta in me iniquitas*. 3. Vtrum sit constans per spem in sustinẽdo: sic Iob, Iob. 23. *Probauit me, quasi aurum quod per ignem* Sap. 3. *transit*. Et Salomon, *Tanquam aurum in* à seipso. *fornace probauit*. Probatur autem à seipso, vtrum filius Dei sit per fidem & charitatem. 2. Vtrum sit discipulus per Christi imitationem, & crucis volũtariam assumptionem, & omniũ rerum renuntiationẽ. 3. Vtrum ex Deo sit per verum auditum à proxime. verbi, & custodit opere. Probatur autem à proximo, vtrum sit verus amicus, tam in aduersitate quàm in prosperitate: *Omni* Prou. 17 enim *tempore diligit qui amicus est*. 2. Vtrum illi velit & nolit quod sibi vellet, vel nollet. 3. Vtrum non aliter apparet, quàm est, id est, non blandiatur coràm, & à retro mordeat, vt *coluber & cerastes in via*. Gen. 49.

Propheta.

1. *Actus Prophetandi multipliciter accipitur.*
2. *Quæ requirantur ad Prophetandum siue prædicandum.*

Prophetare quid sit. 1. PRophetare aut actus prædicandi aliquando accipitur pro actu futura

prædicandi:sic sumitur apud Ezech. *In tẽpora longa iste prophetat.* 2. Pro actu dicendi occulta futura: sic Samaritana, *Domine vt video Propheta es tu.* 3. Pro actu præsentia remota cernendi. Sic Helizæus ad Giesi, *Nonne cor meum præsens erat, quando reuersus est homo de curru?* 4. Pro actu Prophetias recitandi: sic statuit Dauid, *qui prophetarent in citharis*, &c. 5. Pro actu laudes Dei canendi. Sic *Saül inuentus est inter Prophetas.* 6. Pro actu exponendi scripturas: sic Apost. *Nam qui Prophetat*, inquit, *hominibus loquitur.* 7. Pro actu loquendi pro alio, sic *Aaron erit Propheta tuus*, dixit Dominus ad Moysem, *& tu loqueris ei, & ille loquetur Pharaoni.*

Ezech. 12. *Ioan. 4.* *4. Reg. 5.* *1. Paral. 25.* *1. Reg. 19.* *1. Cor. 14.* *Exod. 7.*

2. Ad Prophetandum siue ad prædicandum requiritur 1. Authoritas, ne vsurpẽt officium. *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* 2. Veritas, ne decipiant populum: vnde Dominus, *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonẽ meum verè.* 3. Sanctitas, ne sint alijs in scandalum. *Antequã exires*, inquit Dominus Hieremiæ, *sanctificaui te & Prophetam in gentibus dedi te.* 4. Humilitas, ne præsumãt propter magnitudinẽ officij. *Et, confessus est & non negauit, quia non sum ego Christus.* 5. Magnanimitas, ne desistant propter incursum tribulationum. De Elisæo dicitur, *In diebus suis non timuit principem.* Tandem Sextò paupertas, ne corrũpantur cupiditate munerũ,

Requisita ad Prædicandũ. *Rom. 10.* *Hier. 23.* *Hier. 1.* *Ioan. 1.* *Eccli. 48.*

& declinent à via veritatis aut loquantur hominibus placentia. De Samuele dicitur: *Pecunias & vsque ad calceamenta non accepit.*

Eccli. 46.

Prouidentia. *Vide* Disponere.

1. Prouidentia Dei est circa omnes res creatas, sed circa hominem in speciali.

2. Quadruplex est hominis prouidentia.

3. Prouidere sibi quæ soleant sapientes.

Prouidētia Dei.

1. MVndum regi, & omnia creata disponi ordine diuinæ prouidentiæ, patet primò, quia Deus est ad instar Regis, cuius officium est gubernare. Hoc patet per Salomonem, *Tua autem*, inquit, *prouidentia, Pater, ab initio cuncta gubernat.* Patet 2. In ordine rerum, *quæ statuit in æternum & in seculū seculi præceptum posuit, & non præteribit.* Quòd verò singulariter circa homines sit eius prouidentia, patet ex Psalmista, *Qui finxit oculum, non considerat, & qui plantauit aurem, non audiet?* Quare in omni necessitate & egestate fiduciam diuinæ prouidentiæ concipere debemus ex tribus. Primò ex priori euentu, quia Deus hactenus sustentauit in se confidentes. Patet in filijs Israel, quos pauit in manna, & Helia, cui priùs coruo, deinde vidua Sarephtana prouidit. 2. Ex paterna sua conditione; ad patrem enim spectat filijs prouidere. 3. Ex liberalitatis disposi-

Sap. 14.

Psal. 148.

Psal. 93.

Fiducia in Deum.

dispositione: nam non solùm rationabilibus prouidit, sed etiam irrationabilibus. *Respicite*, inquit, *volatilia*, &c. Quare nimia sæpè sollicitudo facit, vt careamus necessarijs. Matth. 6.

2. Hominis autem prouidentia quæ iuxta Salomonem est quasi gutta roris antelucani, & incerta, & timore plena, præcipuè est circa quatuor. Primò circa res temporales ad earum multiplicationẽ, in qua *filij huius seculi prudentiores filijs lucis sunt*. 2. Circa procurationem carnalium deliciarum, & hæc *prudentia mors est*, inquit Apost. 3. Circa prouisionem necessariorum, & hæc est naturalis: *Iustum enim est*, inquit Iacob, *vt aliquando prouideam domui meæ*. 4. Tandem circa curam rerum spiritualium, quando scilicet nouissima considerantur, & prouidentur. Prouidẽtia hominis. Luc. 16. Rom. 8. Gen. 30.

3. Sapientes autem habent prouidentiam multam, Primò circa propriam salutem. 2. Circa quietem & tranquillam vitam. 3. Circa bonum nomen 4. De secura habitatione ac statu viuendi. 5. Circa conseruationem sui & amicorum & Reipub. Sextò tandem circa certitudinem suæ salutis, per bonorum operum exercitium. Prouid. sapientis.

Puer, Paruulus.

In pueris quid imitandum.

IN paruulis, quos Christus voluit ad se venire, nec prohiberi, imitanda sunt Imitari paruulos

Matth. 18 plura. Alioqui Christus non dixisset, *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et; *Qui susceperit paruulum talem in nomine meo, me suscipit* &c. Imitandus est primò in eis decor Innocentię, 1. Cor. 16. vt *malitiâ paruuli simus.* 2. Dulcor munditiæ. 3. Tenor amicitiæ. 4. Timor obedientiæ. 5. In ætate, disciplinæ commoditas.

Quærendus Deus. Occasio.

1. *Quærendus Deus loco, tempore, modo & fructu debitis.*
2. *Quanta sit vis occasionis siue ad bonum siue ad malum.*

Modus quærendi Deum. AD quæren dum illum qui est vita (scilicet Deum) attendenda sunt locus, tempus, & modus. Locus autem Sap. 9. debet esse mundus: *Non enim inhabitat in corpore subdito peccatis.* 2. Debet esse quie- Cant. 1. tus, ideò sponsa, *Indica mihi vbi cubes in meridie.* 3. Securus: *In pace in idipsum dormit & requiescit.* Non ergo quærendus in lecto prauæ concupiscentiæ carnis; neque in foro, in quo concupiscentia oculorum; neque in pompa, vbi regnat superbia vitę. Luc. 2. inter tales cognatos etiam quæsitus Iesus non est inuentus quidem à Maria & Ioseph. Tempus enim quo quærendus est, Cant. 3. est 1. Dum dies est. Quæsiuit eum per noctem sponsa, sed non inuenit. 2. Dum

prope est, id est, præsens tempus est: nam alioqui dicit, *Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* 3. Dum nobiscum est, id est, tempore huius vitæ: *Adhuc enim modicum tempus nobiscum est.* Modus verò est vt quæramus diligenter, per deuotam orationem, per rectam intentionem, per feruentem affectum, per bonam operationem, & per finalem perseuerantiam.

Ioan. 8.

Ioan.

2. Occasio quæ quandoque sumitur pro opportunitate, significat imperfecti facti causam, ita vt occasionem præbere alicui facto, est nonnullam causam ad illud præbere. Sumitur in bonam partem & malam, & sic est occasio boni, & occasio mali. Occasioni subseruiunt locus, tempus, modus, & factum: nam locus Sanctus, & vbi Sancti agunt & boni, bonarũ virtutũ sæpè sunt occasio, iuxta illud, *Cum Sancto Sanctus eris*: Sic tempus & modus alicuius rei. De tempore: nam diebus Dominicis & festis datur maxima occasio templa frequentandi, piè orandi, cõciones audiendi, contritionem formandi. Cui etiam fauet modus transigendi illos dies, in vestibus nitidis, cessatione operum, & quiete à labore. Denique, actus & exempla plurimorũ qui ad virtutem & pietatẽ tunc inuitant. Sunt autem quædam occasiones propinquæ, ad virtutem; & sunt illa, quæ per se faciunt ad virtutem, vt est timor Dei, bona conscientia, conuictus bonorum, bonũ &

Occasio quid.

Occasio bona.

Psal. 17.

paratum cor,& desiderium Deo seruiendi. Remota verò est omne id ex quo aliquid boni præter intentionem sequi potest, vt obuiatio pauperis; pulsus campanæ ad orationem vocans, visio imaginis & crucifixi, Prædicatio Verbi Dei, admonitio bona superioris, lectio & exempla bene faciendi. Occasio peccati propinqua est omnis illa, quæ est ad peccatum mortale, aut, qua creditur quis nunquam aut rarò vsurum benè sine peccato: Vt frequens compotatio ad gulam, frequentario fœminarum dormiendo simul, aut existentes simul soli, cum affectu turpi ad luxuriam, libertas tractandi, palpandi, osculandi. Sic ad furtũ libertas accedendi, tractandi, palpandi pecunias, &c. Remota verò est omne illud quo aliquid mali præter intentionem sequi potest, etiamsi ipsum bonum sit, vt diuitiæ si acquirantur ad fastum, vt si valetudine quis abutatur ad comessandum. Igitur rectè benèque faciendi occasiones obseruandæ, mali & peccatorum occasiones vitandæ. De occasione boni ac recti dicitur,

Occasio mala.

Fronte capillata, post est occasio calua.

Quis ? Interrogatio.

Pronomen quis multa sonat.

Quis multa significat.

PRonomine hoc aliqui vtuntur ad Interrogationem veritatis, vt est illud,

Quis est Domine vt credam in eum? 2. In admirationem nouitatis, vt est illud, *Quis est iste qui venit de Edom?* 3. In commendationem virtutis, vt est illud, *Mulierem fortem quis inueniet?* 4. In vituperationem præsumptionis, vt est illud, *Pauper loquutus est & dicunt, quis est hic?* 5. In raritatem sanctitatis, vt est illud, *Quis potest dicere; mundum est cor meum?* 6. In difficultatem cognitionis, vt est illud, *Quis nouit si Spiritus filiorum Adam ascendit sursum?* 7. Tandem in singularitatem potestatis: *Quis*, inquit Iob, *potest facere mundum de immundo conceptum semine?*

Ioan. 9. Esai. 63. Prou. 30. Eccli. 13. Prou. 20. Iob. 14.

Regnum Dei.

1. *Regnum Dei quid in sacris litteris significet.*
2. *Per quas virtutes regnum Dei acquiratur.*

1. PER Regnum Dei significatur in Sacra scriptura, vita æterna: sic dicitur, *Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cælorum.* 2. Ecclesia, vt in Parabola de nuptijs. 3. Ipsa scriptura, sic sumitur quando dicitur, *Auferetur à vobis regnum Dei.* Tandem 4. Ipsa gratia: Sic Apost. *Non est regnum Dei esca & potus.*

Regnum Dei quid significat. Matth. 3. Ibid. 22. Ibid. 22. Rom. 14.

2. Quemadmodum enim per multas tribulationes acquiritur possessio regni Dei, sic etiam per multas virtutes. 1. Per

Quando acquiritur.

virtutem patientiæ in aduersis: *Beati enim* Matth. 5. *qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Lucæ. 12. 2. Per virtutem humilitatis: *Nolite*, inquit Christus, *timere pusillus grex; placuit enim Patri dare vobis regnum.* 3. Per Matth. 19 virtutem innocentiæ: *Sinite*, inquit Christus, *paruulos ad me venire; talium est enim regnum cælorum.* 4. Per virtutem laboriosæ conuersationis: *Regnum enim cæ-* Matth. 11 *lorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* 5. Per virtutem doctrinæ sanctæ prædicationis: nam *qui fecerit & docuerit, hic* Ibid. 5. *magnus vocabitur in regno cælorum.*

Religio. *Vide* Tabernaculum.

Quantùm præcellat alios modos viuendi religiosa vita.

Religiosorum bona. RElìgiosus aut in religione existens, habet multa adminicula ab extra, quæ multùm faciunt ad sanctitatem vitæ. Vt est ipsum claustrum, clausura, dormitorium, oratorium, refectorium, &c. Sed multò magis habet illa anima religiosa, quę habet officinas spirituales octo. Primò habet templum deuotæ orationis. 2. Scholam Catholicæ veritatis. 3. Claustrum taciturnitatis aut silentij: nam teste Iacobo, *non refranans linguam suam, huius vana* Iacob. 1. *religio.* 4. Capitulum iustæ correctionis, qua mortificat seipsum & reprehendit,

5. Refectorium Sacramenti Altaris. 6. Dormitorium quietæ mentis ac pacis cordis. 7. Infirmariam pietatis ac misericordiæ erga proximum. 8. Hospitium charitatis & largitatis. Igitur fœlix illa religio, cuius Templum sanctitas, schola veritas, claustrum taciturnitas, capitulum æquitas, refectorium sobrietas, dormitorium castitas, infirmaria pietas, hospitium largitas.

Reliquiæ.

Multæ reliquiæ in Scripturis bonæ & malæ.

Reliquiæ primæ sunt Sanctorum & hę colendæ, eò quòd *Dominus custodit omnia ossa Sanctorum, vnum ex his non conteretur.* 2. Sunt Impiorum, *quæ interibunt*; & hæ reliquuntur sicut fæx in dolio. 3. Sunt virtutum: nam innocentia & æquitas *sunt reliquiæ homini pacifico.* 4. Sunt vitiorum, de quibus Propheta, *Perdam reliquias Babylonis*, & hæ sunt sicut fœtor relictus de corruptione. Quintæ sunt præmiorum; sic reliquiæ Tobiæ erant *ad videndum claritatem Hierusalem.* 6. Sunt suppliciorum: nam *in reliquiis eius*, inquit Dauid, *præparabis vultum illorum.* 7. Sunt cogitationum spiritualiũ, de quibus Dauid, *Reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.* Tandem Octauæ sunt ciborum, quæ pauperibus distribuendæ ne pereant.

Reliquiæ variæ. *Psal.* 34. *Psal.* 36. *Ibid.* *Esai.* 14. *Tob.* 13. *Psal.* 20. *Psal.* 75.

Requies. *Vide* Cœlum.

Reuelatio, reuelare, secretum.

Reuelat homo quædam Deo, quædam verò Deus homini, & quædam homo homini.

Reuelat homo Deo. REuelare seu manifestare Deo debet Homo, Primò peccata sua, vt ea deleat veniâ & misericordiâ: Hinc Propheta, Esai. 47. *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum.* 2. Negotia omnia, vt ea dirigat & defendat: Sic Propheta, Hier. 20. *Tibi reuelaui causam meam.* 3. Omnia opera, vt ea dirigendo disponat: ideò Salomon, Prou. 15. *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* 4. Desideria, vt ea impleat: Ideò Psal. 36. Dauid, *Reuela Domino viam tuam.* Deus hominí. Deus autem reuelat homini quædam in præsenti, & quædam in futuro. In præsenti reuelat quatuor. Primò notitiam Sacræ scripturæ: nam *ipse est*, iuxta Iobum, Iob. 12. *qui reuelat profunda de tenebris.* 2. Visionem gloriæ. Quia vt inquit Apost. 2. Cor. 3. *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes*, &c. 3. Catholicam fidem: Quia hanc neque *caro aut* Matth. 16 *sanguis, sed Pater qui in cœlis est, reuelat.* 1. Cor. 2. Tandem 4. Vitæ perfectionē: Quia hanc reuelauit Deus per Spiritum sanctum. In futuro reuelabit conscientias singulorum, sicut solis radij atomos in camera: *Nihil*

enim opertum quod non reueletur. 2. Ignominias peccatorum, quia in Iudicio *reuelabitur ignominia tua*, inquit Propheta. Tandem seueritatem vindictæ: *Reuelabitur* enim *ira super omnem impietatem eorum, qui iustitiam Dei in iniustitia detinent.* Tandem. 4. Immensitatem gloriæ; *non* enim *sunt condigna passiones huius temporis.* &c. Quædam reuelat homo homini, & quidem quandoque benè & quandoque malè & iniustè. Reuelat homo homini benè secretum, si amicus sit. Sic Christus Apostolis, quos *non seruos, sed amicos vocauit, quia omnia quæ audiuit à Patre suo, nota fecit eis.* 2. Peccata & conscientiæ secreta, si confessarius est: *Confitemini*, inquit Iacobus, *alterutrum peccata vestra.* 3. Afflictiones & difficultates, si discretus & expertus est doctrinâ, & experientiâ: Ideò dicitur, *Amico fideli nulla est comparatio.* 4. Omnes actus & cogitatus, si superior est. Malè ergo reuelat quis secretum sibi commissum, contra ius naturale. Ideò dicitur, *Causam tuam tracta cum amico: At secretum extraneo ne reueles.* 1. Auditum in confessione: nam vt dicit Salomon, *Ei qui reuelat mysteria ne commiscearis.* 3. Occulta vitia, per detractionem: *Abominatio enim hominum est detractor.* 4. Proprios defectus, per vanam gloriam: *Gloriantur cùm malè fecerint & exultant*, &c.

Luc. 12.
Esai. 47.
2. Cor. 4.
Homo homini.
Ioan. 15.
Iacob. 5.
Eccli. 6.
Prou. 25.
Prou. 20.
Prou. 24.
Prou. 2.

Sancti, Iusti *Vide* Oues, Corona, Communicare gaudium, Gloriari.

1. *Iusti unde dicantur Sancti.*
2. *Sancti vocantur ad octo.*
3. *Sancti visitandi.*
4. *Sancti comparantur luminaribus, ouibus & arboribus.*
5. *Sancti conuersantur in cælo.*
6. *Sancti multiplici perfectione perfruuntur.*
7. *Electio Sanctorum quadruplex.*
8. *Sancti accipiunt septemplicem spiritum.*
9. *Sancti sunt peregrini in hoc mundo.*
10. *Sancti tristantur multis de causis.*
11. *Sancti gemunt & plorant octo rationibus.*
12. *Sanctos tribulari permittit Deus.*
13. *Sanctorum quadruplex requies.*
14. *Sancti hominibus non placent.*
15. *Sanctorum collectio & congregatio non deserenda.*
16. *Sanctorum translatio est multiplex.*
17. *Sanctos magnificat Dominus multipliciter.*
18. *Sancti mundo qui eis dignus non erat plura bona fecere.*

19. *Sanctorum gesta scripta sunt septempliciter.*

1. IVsti dicuntur Sancti, Primò per conscientiæ puritatem, quia sanctum idem est quod mundum. Ideò Iob, *Tenebit iustus viam suam & mundis manibus addet fortitudinem.* Quia sine terra (illud enim significat sanctum) per terrenorum abiectionem, quia *quæ sursum, quærunt, non quæ super terram.* 3. Quia firmi (hoc tertiò significat Sanctum) per perseuerantiæ longanimitatem; sunt enim *verbo Domini firmati.* 4. Quia sanguine tincti per passionis ac Martyrij Christi imitationem; *lauerunt* enim *stolas suas*, id est, animam, *in sanguine agni.*

Sancti nomen vnde. *Iob. 17.* *Colos. 3.* *Psal. 32.* *Apoc. 22.*

2. Sancti nominantur & vocantur primò ad confitẽdam primam veritatem: sic Psal. *Psallite Domino omnes Sancti eius*, &c. 2. Ad reuerendam immensam Dei maiestatem: Ideò dicitur, *Timete Dominum omnes sancti eius.* 3. Ad diligendum summam bonitatem: *Diligite Dominum omnes Sancti eius*, dicit Dauid. 4. Ad impetrandum alijs sanctificationem: nam ideò dicitur, *Pro hac orabit omnis Sanctus in tempore opportuno*, &c. 5. Ad placandam diuinam iram: nam orant multùm pro populo Dei. 6. Tandem ad capiendam æternam hæreditatem: nam *Gloria hæc*, æterna scilicet, *est omnibus Sanctis eius.*

Ad quid vocati Sancti. *Psal. 29.* *Psal. 34.* *Psal. 30.* *Psal. 148.*

3. Sancti visitandi, primò ad conferen-

Sancti visitãdi,

dum cum eis de salute nostra. 2. Vt ab eis ędificationem habeamus & aliquid gratiæ spiritualis. 3 Vt eis congratulemur de gratia accepta: sic Maria visitauit Elizabeth. 4. Ad consolandum eos: sic amici Iob eum visitarunt. 5. Ad exhortandum siue animandum, vt exacuetur facies eorum ad pugnam fortiter tenendam. Sextò tandem ad eis ministrandum: Sic Maria fecit cognatæ suæ.

Rom. 1.
Luc. 1.
Iob. 3.

Sancti sunt luminaria. 4. Comparantur sancti luminaribus, primò propter substantiam luminis quę est incorruptibilis: sic illi incorrupti per fidem. Vnde dicitur, *Ego feci vt in cælis oriretur lumen indeficiens.* cęli etenim sunt sancti, & fides lumen. 2. Propter quantitatem: nam lumen paruum efficit magnam claritatem: sic illi per humilitatem & humilem conuersationem. Sic Propheta, *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* 3. Propter qualitatem, quę est lux; sunt enim luminosi per conuersationem: *Iustorum* enim *semita quasi lux splendens.* 4. Propter figuram quę rotunda est per simplicitatem; sunt enim simplices sicut columbæ. 5. Propter situm qui est in cœlo: nam *eorum conuersatio est in cælis.* 6. propter motum vniformem per obedientiam: nam vt *stella dant lumen in custodijs suis & luxerunt.* Tandem 7. Propter effectum luminaris, quia mundum illuminãt sunt enim à Deo dari in lucẽ mũdi: *Vos*, inquit, *estis lux mundi.* Comparantur

Eccli. 24.
Psal. 130.
Prou. 4.
Matth. 10
Phil 3.
Baruch. 3.
Matth. 5.

etiam ouibus. Primò propter Innocentiæ simplicitatem. 2. Propter patientiæ tranquillitatẽ, vt dictum est suprà verbo, Oues. Cõparantur 3. Arboribus, idque multiplici consideratione. Primò propter radicis firmitatem, id est, charitatis primam stabilitatem, ideo Apostolus, *In charitate radicati ac firmati.* 2. Propter trunci iuxta radices robur, id est, fidei constantiam; non enim citò mouentur à vero sensu fidei. 3. Propter stipitis erectionem, id est, spei sublimitatem quæ mentem eleuat ad cælestia: nam ideo, *quæ sursum sunt sapiunt,* appetunt & desiderant. 4. Propter ramorum, id est, bonorum desideriorum & virtutum expansionem. 5. Propter foliorum, id est, verborum suauitatem, & verborum ædificationem, ideo dicit Propheta, *Folium eius non defluet.* 6. Propter fructuum, id est, sanctarum operationum vtilitatem, quia *fructus eorum dulces gutturi,* & Dei, & piorum hominum. Tandem septimò propter vmbræ, id est, misericordiæ protectionem: hi enim sunt viri misericordiæ quorum pietatis fructus non defuere.

Sũt oues. Sunt Arbores. Ephes. 3. 2. Thessal. 2. Psal. 1. Cant. 8. Eccli. 44.

5. Conuersatio autem Sanctorum dicitur esse in cælo. Primò, quia cælestia meditantur: *Vbi* enim *est thesaurus, ibi est cor eorum.* 2. Quia cælestia loquuntur: *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* 3. Quia cœlestia meditantur mirantes: sic Iob, *Nunquid nosti ordinem cæli & pe-*

Cõuersatio Sanctorum. Matt. 6. Matt. 15. Iob. 38.

nes rationem eius in terra. Tandem 4. Quia cœlestia quærũt & præstolãtur. *Quid enim mihi est in cælo, aut quid volui super terram? pars mea Deus in æternum.*

Psal. 72.

Perfectio Sanctorum.

6. Habent autem Sancti multiplicem perfectionem. Primò perfectam & sanam cognitionem per fidem. 2. Perfectam & rectam intentionem per spem. Recta verò & bona intentio ea est, 1. Quæ fugit in operatione laudes humanas. 2. In prosperis sobriè gaudet. 3. In correctione ordinatè procedit primò à seipsa incipiendo. 4. Benignam se exhibet, non sibi, sed aliis. Et tandem 5. Patientiam in aduersis ostendit in ædificationem. Tertiò perfectam & veram dilectionem & charitatem, *quæ est vinculum perfectionis.* 4. perfectam & discretam loquutionem: Nam *si quis non offendat in verbo, hic perfectus est vir.* 5. Perfectam & sanctam operationem, quæ habetur per iustitiam. 6. Perfectam & honestam conuersationem: nam *perfecti sunt & absque macula cum Domino Deo suo.* Tandem 7. Perfectam & perpetuam in bonis operibus perseuerantiam per patientiam, *quæ opus perfectum habet.*

Coll. 4. Iac. 3. Deut. 8. Iacob. 1.

Electio Sanctorum.

7. Sancti quadruplici eleguntur electione. Prima æternæ prædestinationis; & hæc non cadit sub merito: ideo Apost. *Elegit nos ante mundi constitutionem.* 2. Præsentis iustificationis, *quos enim vocauit, hos iustificauit.* 3. Temporalis exal-

Eph. 1. Rom. 8.

tationis. Nam ipse *exaltat electum de plebe.* *Psal. 88.*
Tandem 4. Æternæ glorificationis. Et hanc vltimam bonis operibus promerentur electi. Præter hanc Electionem, Elegit adhuc Dominus inter sanctos. 1. Martyres ad nouum bellum, in quo sanguine & morte vincant. 2. Inter fœminas Virgines, & inter Virgines pulcherrimam omnium in matrem, & inter omnia loca totius mundi, locum domus suæ, & habitationis gloriæ suæ.

8. Sancti septem Spiritus sancti dona accipiunt à Deo, Primò spiritum sapientiæ in prægustatione æternorum. 2. Spiritum intelligentiæ in penetratione secretorum Dei, patet in Daniele. 3. Spiritum consilij in discretione agendorum. 4. Spiritum fortitudinis in perpessione difficilium. 5. Spiritum scientiæ, in vsu rerum præsentium. 6. Spiritum pietatis in compassione afflictorum. Tandem septimò, Spiritum timoris Domini in consideratione diuinorum Iudiciorum: *Quasi fluctus tumentes semper* Iob *timuit Dominus.* Dona Spiritus sancti. *Dan. 4.* *Iob. 31.* *Heb. 11.* *Sap. 10.* *Eccli. 44.* *Iob. 31.*

9. Quia verò sancti sunt peregrini in hoc mundo, ideo Primò sibi prouident de viatico. 2. Mansionem non ædificant in hoc mundo, nec quærunt. 3. Necessaria, nõ superflua, secum portant: nam *habentes alimenta, & quibus tegantur, contenti sunt.* 4. Viam meliorem eligunt: nam *interrogant semper de semitis antiquis.* 5. Bonæ Sancti sunt peregrini. *Heb. 11.* *1. Tim. 6.* *Hier. 6.*

Societati se adiungunt; sciunt enim non
Gen. 2. *esse homini bonum, esse solum.* Et alibi di-
Eccle. 4. citur, *Va soli, quia cùm ceciderit non habet*
subleuantem se. 6. Alienis negotiis se non
2. Tim. 2. implicare: *Nemo enim militans Deo im-*
plicet se negotiis secularibus. 7. Pecuniam
suam cælare; ne vana gloria meritum per-
Matt. 6. dat: *Vade in absondito, & pater, qui in abs-*
condito est, reddet tibi Tandem octauò,
De patria libenter & loqui & cogitare.
Hier. 51. *Ascendet enim gloria cælestis Ierusalem super*
cor eorum.

Tristitia Sancto-rum. 10. Tristantur sancti tristitiâ magnâ ex
recordatione præteritorum peccatorum,
2. Cor. 6. ad pœnitentiam. 2. Ex consideratione
quotidianorum incommodorum: sic Da-
Psalm. uid, *Tota die contristatus ingrediebar.* 3. Ex
Eccle. 9. formidine futurorum: *Nescit* enim *homo*
vtrum amore, vel odio dignus sit. 4. Ex ad-
2. Cor. 11. uersitatibus proximorum. Quis enim in-
firmatur, & ipsi non vrantur? 5. Ex incur-
su malorum præsentium, in variis tribula-
Luc. 21. tionibus. 6. Ex calamitatibus futuris quæ
superuenient vniuerso orbi. Tandem 7.
ex perditione animarum.

Gemitus Sanctorū. 11. Sic etiam plorant & gemunt, Primò
Psal 119. pro incolatu huius miseriæ. 2. Pro dilata-
Ibidem. tione patriæ. 3. Pro Dei iniuriis: sic Apost.
Philip. 3. *Nunc* autem *flens dico inimicos crucis Christi.*
2. Cor. 11. 4. Pro mundi peccatis. 5. Pro infirmorum
scandalis. Tandem præ gaudio conuersio-
nis animarum.

Tribulatio Sanctorum. 12. Tribulari permittit Sanctos Deus,
quia

quia primò purgentur à peccatis. Sic enim vt aurum in camino homines receptibiles in camino humiliationis. 2. Propter virtutum eorum manifestationem: sic probauit tentatio Tob. 3. Propter virtutum & nominatim patientiæ exercitium & exercitationem: *Tribulatio enim patientiam operatur.* 4. Propter coronæ augmentationem. 5. Propter dilectionis Dei erga eos ostẽsionem: nam *quos amat, arguit & castigat.* 6. Propter de hac vita festinum exitum, *Charitas Dei vrget nos.* 7. Propter infirmorum confirmationem, vt patet in Eleazaro & verbis eius. Tandem octauò, Propter malorum terrorem & correctionem: *Si enim iustus in terra recipit, quantò magis peccator & impius?*

Eccli. 2. *Tob. 12.* *Iacob. 1.* *Rom. 5.* *Apoc. 3.* *2. Mach.* *Prou. 11.*

13. Quare sanctis in corde est magna quies. Prima à peccatis in bona conuersatione, in qua inueniunt requiem. 2. A temporalibus negotiis in Dei contemplatione. 3. A laboribus & prauæ conscientiæ remorsu, in morte. Nam tunc *dicet Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Tandem 4. à cunctis afflictionibus in æterna vita: Ibi *erit requies opulenta & plena pinguedine.*

Quies Sanctorũ. *Apoc. 14.* *Iob. 36.*

14. Sancti Deo placere maximè satagunt, at maximè hominibus displicere conantur. Primò, quia veritatem dicunt, quæ eis non placet: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Et Paulus factus est inimicus Galatis, verum dicens. 2. Quia eis adulari

Contemptus Mundi. *Tercut.* *Gal. 4.*

3.Reg.22. nesciunt: quia prophetant mala malis: sic Achab odio habebat Michæam filium Iemla. 3. Quia eorum peccata arguunt: Ideo
Amos. 5. *odio habent corripientem.* 4. Quia oderunt
Gal. 6. quæ ipsi amant, scilicet mundum, cui crucifixi sunt & mundus eis. 5. Quia dissimiliter viuunt, quare non possunt cum eis
Sap. 2. conuenire; sic impij dissimilis est aliis vita eius 6. Quia eorum consortia fugiunt:
Psal. 25. *Odiunt* enim *Ecclesiam malignantium*, *& cum impijs non sedent.* Tandem 7. In votis
Sap. 2. eis non consentiunt, quia *contrarij sunt operibus eorum.*

Conuersatio vtilis.
15. Sanctorum societas nunquam deserenda: Primò quia supportant mutuam infir-
Eph. 4. mitatem. 2. Quia roborant contra casum, qui *subleuant se mutuo.* 3. Quia se mutuò
Prou. 18. defendunt, quia *frater qui adiuuatur à fra-*
Col. 3. *tre, quasi ciuitas firma.* 4. Quia se mutuò exhortãtur. 5. Propter terrorẽ dæmonum,
Cant. 6. cui sunt sicut *castrorum acies ordinata.* 6. Propter participationem suffragiorum.
Ps. 118. nam *participes faciunt omnium timentium Dei bonorum.* 7. Propter diuinum consor-
Matt. 18. tium: nam *vbi duo vel tres congregati sunt, Deus est in medio eorum* 8. Propter maiorem efficaciam orationum, quia *si duo con-*
Ibid. *senserint, fiet illis quodcunque petierint à Patre æterno.* Tandẽ 9. Propter exẽpla mutuæ
1. Tess. 5. ædificationis, quia *alterutrum ædificant.*

Translatio sanctorum.
16. Transferuntur autem sancti per Dei gratiam, Primò, A culpa originali in gratiam. 2. A culpa actuali in pœnitentiam.

3. A vita seculari in religiosam. 4. Sæpè de statu subditi ad prælaturam. 5. A labore vitæ actiuæ in contemplatiuam. De mundo præsenti ad sepulturam honoris. Tandem 7. De miseria ad gloriam: sic *Enoch* *placuit Deo & translatus est in paradisum.* Eccli. 49.

17. Magnificat autem Dominus sanctos, Primò per gratiam adoptando. 2. Donis virtutum amplificando. 3. Miraculis illustrando. 4. Honoribus sublimãdo. 5. Bonis fortunæ aliquos cumulando. 6. Nomẽ eius latè diuulgando, vt patet in Dauide. 7. Tandẽ gloria in cœlis exaltando: Ideo Salomon, *In omnibus magnificasti populũ tuum.* Magnitudo Sanctorum. 2. Reg. 7. Sap. 16.

18. Sancti mundum, qui eis non erat dignus, Primò illuminauerunt per Euangelij prædicationem. 2. Ædificauerunt luce sanctæ conuersationis. 3. Disciplinâ reformarunt. 4. Oratione iuuarunt. 5. Beneficiis sustentarunt. 6. Miraculis attraxerunt. 7. Patientiâ supportarunt; ac Tandem 8. Prouidentiâ saluarunt, intercessione & spiritualibus gratiis. Beneficia Sãctorũ. Matt. 5. Eph. 4. Eccli. 44.

19. Tandem sanctorum gesta scripta sunt iustis de causis, Primò ad Dei gloriã. 2. Ad Diaboli confusionem, quem vicerũt. 3. Ad eorum laudem. 4. Ad peccatorum redargutionem, *Videant filij hominum templum & fabricam, & confundantur.* 5. Ad pigrorum excitationem, vt attendant ad petram vnde excisi sunt. 6. Ad perfectionem animarum, vt attẽdamus, *quomodo salui facti sunt.* Tandẽ ad totius Ecclesiæ consolationem. Gesta Sanctorum. Eccli. 44. Ezech. Rom. 15.

Sacerdos, Sacerdotium.

1. *Sacerdotes noua legis excellunt veteris legi in septem.*
2. *Sacerdotes dicuntur Angeli.*

Sacerdotij excellentia.

1. Excellit sacerdotium nouæ legis illud quod erat legis Moysis, primò in constitutione, quia ille sacerdos veteris legis intrabat per lineam successionis, hic autem per gratiam electionis: *Ego elegi vos*, inquit Christus, *vt eatis & fructum afferatis*. (Ioan. 15.) 2. In vnctione, quia ille oleo visibili, hic verò Spiritu sancto interiùs: ideò dicitur ordinandis: *Accipite Spiritum sanctum*. (Ioan. 20.) 3. In conuersatione: nam ille vacabat generationi, hic verò continentiæ: ideò mulieres debent habere velamen propter Angelos, id est, sacerdotes. (1. Cor. 11.) 4. In prædicatione, quia ille terrena obscura, hic verò cœlestia. 5. In oblatione, quia ille carnalem, hic verò offert spiritualem. 6. In dispensatione, quia ille dispensabat sacrificia significantia, hic verò significata. Tandem in potestate, quia ille ligabat & soluebat solùm in terra, hic verò etiam in cœlo, vt patet. (Matt. 26. Ioan. 20.)

Sacerdotes Angeli.

2. Dicuntur autem meritò sacerdotes Angeli à Malachia: *Labia*, inquit, *sacerdotis*, &c. quia *Angelus Domini exercituum est*. (Malach. 2.) 1. Propter Annunciationem diuinorum mandatorum: ideo dicitur vbi suprà, *legem*

requirent de ore eius. 2. Propter scientiam diuinorum secretorum, vt patet suprà. 3. Propter munditiam castitatis, quorum vita est angelica, non humana. 4. Propter splendorem sanctæ conuersationis. 5. Propter custodiam Dominici gregis; id enim faciunt Angeli. 6. Propter obedientiam diuinæ voluntatis. 7. Propter gratiam sanctæ contemplationis, quia Angeli semper vident faciem Patris. 8. Propter assiduitatem diuinæ laudis: nam Angeli clamabant, alter ad alterum. 9. Propter constantiam benignitatis. Tandem 10. Propter ministerium in conspectu diuinæ maiestatis. *Millia millium ministrabant ei*. Et, *omnes sunt administratorij spiritus.* *Psal. 102. Matt. 18. Esai. 6. Dan. 7. Heb. 1.*

Sacramenta.

Sacramenta Ecclesia Catholica sunt septem.

SAcramentum, quod iuxta D. August *Est inuisibilis gratiæ visibile signum, ita vt gratiæ similitudinem gerat, & etiam causa existit*, ad sui existentiam tria requirit: Primò vt habeat naturalem similitudinem, ex qua habeat aptitudinem significandi. 2. Actualem institutionem à Christo, à qua habet determinatum respectu sui significati. 3 Spiritualem sanctificationem, ex qua habet virtutem efficiendi illud, quod significat. Patet hæc tria *Sacramenti definitio.*

exempli gratiâ in baptiſmo: nam in eo eſt naturalis. ſimilitudo ablutionis ſordium, quia Baptiſmus abluit à peccato originali & actualibus. Eſt 2. Inſtitutio actualis Chriſti, *Baptizate omnes in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti*. 3. Eſt ſanctificatio, quia gratiam confert. Inſtituta ſunt omnia Sacramenta à Chriſto; nemo enim mortalium auferre aut facere poteſt aliquod Sacramentum, cùm Deus ſit ſolus author gratiæ, quæ confertur in Sacramentis. Eorum eſt effectus multiplex, ex quibus colliguntur ſeptem eſſe. Nam à peccato mundant, quod facit Baptiſmus. 2. In bono cõſeruant & confirmant, quod facit Confirmatio. 3. Corpori myſtico incorporant, quod facit Euchariſtia. 4. Iuſtificant quod facit Pœnitentia. 5. Ad futuram vitã præparant, quod facit extrema Vnctio. 6. Erudiendo illuminant, quod facit Ordo. 7. A malo præſeruant, quod facit Matrimoniũ. Eorum ſeptenarius numerus ex diuerſitate hominum in Eccleſia colligitur. Primum quod eſt Baptiſmus eſt Sacramentum intrantium per fidem in Eccleſiam. 2. Eſt pugnantium, vt Confirmatio. 3. Eſt vires reſumentium, & eſt Euchariſtia. 4. Eſt reſurgentium poſt lapſum, vt Pœnitentia. 5. Eſt exeuntium, & eſt extrema Vnctio. 6. Eſt miniſtrantium, & eſt Ordo. 7. Eſt nouos milites introducentium, & eſt Matrimonium. Item Baptiſmus eſt Sacramentum fidei, Confirmatio ſpei, Euchariſtia

Inſtitutio.

Effectus & numerus.

charitatis, Pœnitentia iustitiæ, Extrema Vnctio perseuerantiæ: quæ est fortitudinis complementum, Ordo est prudentiæ, & Matrimonium temperantiæ.

Sanctificatio, Iustificatio.

Sanctificatio nostra fit per plura.

SAnctificatur homo, Primò per fidem inuisibilium, quia in fide & lenitate sanctum fecit illum Dominus. 2. Per spem æternorum præmiorum: Quia *omnis qui habet spem, sanctificat se.* 3. Per confessionem peccatorum: *Facta* enim *est Iudaa,* id est confessio, *sanctificatio eius.* 4. Per auditionem verbi Dei: *Sanctifica eos, Pater, in veritate, & sermo tuus veritas est.* Per lauacrum Sacramentorum; sunt enim vasa sanctificantia. — Sanctificatio vnde. Eccli. 45. 1. Ioan. 3. Psal. 113. Ioan. 17.

Sapientes.

1. *Quatuor genera sapientum, & qui illi.*
2. *Ad veram sapientiam peruenitur per septem.*

1. SApientum aut eorum, qui sapientiam se habere putant, quidam nec videntur esse sapientes, nec tamen sunt, vt peccatores notorij; loquela enim manifestat eos. 2. Quidam videntur esse sa- — Sapientes qui.

pientes, & non sunt, vt prouidi in terrenis & negligētes diuina: tales sunt hypocritæ. 3. Non videntur esse sapientes, & tamen sunt, vt prouidi in diuinis, negligentes terrena. 4. Tandem videntur esse sapientes & sunt, vt doctores sancti, in quorum facie lucet prudentia, & hi veri sapientes sunt, qui exercent se in actibus virtutum.

Prou. 3.

Sapientia vnde. 3. Ad veram sapientiam peruenitur per malorum extirpationem, *quia in maleuolam animam non introibit sapientia*. 2. Per bonorum imitationem. 3. Per omnium dilectionem. 4. Per egenorum compassionem. 5. Per timorem Dei & mandatorum obseruantiam. 6. Per cordis humilitatem & morum mansuetudinem. 7. Per veritatem veræ sapientiæ, quam quis sine fictione discit.

Sap. 9.

Scire, Scientia.

1. *Scientia fidei in scriptura expressa excedit omnes alias scientias.*
2. *Acquiritur hac scientia nouem modis:*

1. SCientia fidei reuelatæ in scripturis expressa excellit alias omnes tam naturales, quàm morales; Primò subiecti nobilitate, qui Deus est. Ideo dicit, *Audite me quia de rebus magnis loquutura sum.* 2. Authoris dignitate, qui est Spiritus sanctus, *quo inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* 3. Verborum suauitate, Quia labia

Prou. 8.

2. Pet. 2.

labia sponsæ Ecclesiæ docentis suauis distillans. 4. Sententiarum firmitate: nam labium firmitatis, quæ est Ecclesia fundata super firmam petram, erit in perpetuum. 5. Dictorum claritate, quia hæc clara est, quæ nunquam marcessit sapientia. 6. Sensuum multiplicitate, quia multiplex est intelligentia. Tandem 7. Finis vtilitate, quia instruit ad salutem. *Cant. 4.* *Prou. 12.* *2. Tim. 2.*

2. Acquiritur autem hæc doctrina humilitate sine inflatione: ideo Psalmista, *Si non humiliter sentiebam*. 2. Sobrietate sine præsumptione, quia in hac scientia, *Non oportet plus sapere quàm oportet*. 3. Certitudine sine hæsitatione, Sic Apostolus, *Scio cui credidi*. 4. Veritate sine errore, quia per hanc ad scientiam primæ & summæ veritatis peruenitur. Sextò amore & charitate sine inuidia, ideo summa sapientia, *quam sine inuidia communico*. Tandem efficacia & studio, cum proximorum vtilitate, & gratuita communicatione, & bona operatione: *Scienti enim & non facienti, peccatum est illi.* Scientia fidei vnde. *Psal. 131.* *Rom. 12.* *1. Timi. 2.* *Sap. 1.* *Iac. 4.*

Scriptura Sacra, Liber.

1. *Scriptura astruit multa & confirmat.*
2. *Scriptura est ad nostram doctrinam.*
3. *Liber est multiplex, & scriptura in eo diuersa.*
4. *Scripturæ sensus quadruplex.*

Scripturæ vtilitas. 1. Omnia, quæ in scriptura sacra habentur, scripta sunt ad astruendum,

Ioan. 20. Primò fidem, quia *scripta sunt vt credatis.* 2. Charitatem; *qui enim diligit proximum,*

Rom. 13. *legem impleuit.* 3. Ipsam spem: nam per *pa-*

Ibid. 15. *tientiam & consolationem scripturarum spem habemus.* Item de omnibus aliis virtutibus, scilicet ad prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iustitiam.

Ad quid scripta. 2. Ad nostram verò doctrinam scriptam esse patet. Primò, quia ibi scripta est veritas Catholica ad credendum. 2. Præcepta diuina ad operandum. 3. Beneficia diuina ad laudandum Deum. 4. Iudicia discreta ad timendum. 5. Peccata humana ad erubescendum. 6. Gratiæ pærfidia ad petendum. 7. Sanctorum exempla ad imitandum. 8. Obligationes subditorum ad obediendum. 9. Præmia gloriæ ad acquirendum. 10. Supplicia ad detestandum. Tandem documenta iustorum ad intelligendum.

Libri scripturæ varij. 3. Multiplex autem est liber, in quo scripta sunt diuersa ad nostram doctrinā. Primus est Prædestinationis æternæ, in quo

Apoc. 20. sunt scripta præmia electorum. 2. Præsen-

Luc. 20. tis iustitiæ, in quo scripta sunt nomina

Esai. 8. vocatorum. 3. Humana natura in Christo, in quo scriptæ sunt litteræ amoris in stigmatibus passionis. 4. Liber Virginis glo-

Matth. 1. riosæ, in quo scriptum fuit à Deo verbum abbreuiatum in humana natura, & à Spiritu sancto documenta morum & perfectionis. 5. Tota creatura, in quo scripta sunt

Esai. 29.

vestigia rerum inuisibilium. 6. Scriptura sacra, in quo scripta sunt verba mandatorum Dei. Tandem septimus est, Liber conscientiæ, in quo scriptæ sunt notæ peccatorum. *Dan. 7.*

4. Est sacræ Scripturæ quadruplex sensus. Primus Historicus siue litteralis, quando factum aliquod narratur. 2. Tropologicus, cùm ex his quæ facta sunt aliqua facienda monstrantur. 3. Allegoricus, cùm per id quod factum est aliquid futurum intelligitur. 4. Anagogicus, per quem de supernis & æternis tractatur. Secundum igitur hos sensus Historicè Hierusalem est Ciuitas terrena. Tropologicè est anima Sancta. Allegoricè est militans Ecclesia. Anagoricè est æterna patria. Alius sensus est moralis, quando ex littera eruuntur documenta vitæ ad instructionem morum. Scripturæ sensus.

Seculum.

Qui per seculum intelligatur.

Seculum multipliciter dicitur & intelligitur. Primò vniuscuiusq; eorum, quæ sunt, vita. 2. Tempus mille annorum aut centum annorũ. 3. Vniuersa præsens vita. 4. Futura vita post generalem resurrectionem. 5. Mensura æternorũ, id est, ipsa æternitas diuina. Sextò mensura perpetuorum, Seculum quid.

id est, æuum. Septimò Tandem singulæ septem ætatum mundi.

Seductio, Seductor. *Vide*, Diabolus. Tentatio.

Homo habet tres seductores, & quomodo à singulis seducitur.

Tentatio vnde. HOmo non solùm à mundo & à Diabolo seducitur, sed quod flebile est, à seipso. Primò per errorem iudicij rationis, iudicando falsum verum, æstimando scilicet terrena bona pluris cælestibus. 2. Per infirmitatem appetitus rationalis, qui est voluntas, appetens vt bonum, quod malum est, voluntas enim non appetit malum nisi cum errore sub ratione boni. 3. Per præsumptionem audacem, quando Gal. 6. præsumit *aliquid esse, quod tamen nihil est*. Seducitur autem homo à mundo, Primò per deliciarum voluptatem, quærens in vitio virtutem. De quo dicitur, *Quare seduceris ab aliena?* id est, praua concupis- Prou. 5. centia, quæ alienat à Deo. 2. Per diuitiarum cupiditatem, in vacuo quærendo abundantiæ plenitudinem. De quo dicit Osee. 7. Propheta, *Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* 3. Per honorum vanitatem. Hinc Apost. *Nemo vos seducat inanibus verbis.* 3. Seducitur homo à Diabolo iterum, sub malo prætexente bonum, primò Gen. 3. per facta bonis similia, vt patet, *Eritis si-*

aut dij. 2. Per promissa fallacia: *Hæc omnia dabo tibi.* 3. Per signa mendacia: *Exibit Sathanas, & seducet gentes.* Matt. 4. Apoc. 20.

Sentire, Sensus Corporalis, & Spiritualis.

1. *Sensus corporales causant sæpè mortem animæ.*
2. *Sensus spiritualis perfectio in quo consistat.*
3. *Quinque sentire debemus spiritualibus sensibus de Christo.*

1. Causant sæpè mortem & peccati ruinam. Primò oculi per spectaculi vanitates, ideo Psal. *Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem.* 2. Aures per proximi detrectationem. 3. Nares per odorum nimiam suauitatem, quibus iuxta Esaiam, *Erit pro suaui odore fætor.* 4. Gustus per saporum delectationem, quæ gustata adfert mortem; *plures enim occidit crapula quàm gladius.* 5. Tactus per delectabile carnis, de qua dicitur, *Subter te sternetur tinea & operimentum tuum erunt vermes.* Causæ mortis spiritualis. Esai. 3. Greg. Esa. 14.

2. Perficiuntur autem sensus spirituales. Primò visus aperiendo oculos mentis ad diuinam claritatem: vnde Iacob, *Vidi Dominum facie ad faciem.* 2. Auditus applicando mentem ad audiendam vocem Dei: Sic Samuel, *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Tertiò, Odoratus applicando mentem ad sentiendum diuinæ pietatis Perfectio sensuum spirit. Gen. 32. 1. Reg. 3.

Cant. 1. odorem, in quo currebat sponsa. 4. Gustus, applicando mentem ad gustandum diuinæ
Psal. 34. bonitatis dulcedinem: ideo Psalm. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Tandem 5. Tactus, applicando mentem ad experiendam diuinam suauitatem. Quod D. Ioannes fecit, *Quod*, inquit, *manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.*

Sentire de Christo. Matt. 27. 3. De Christo patiente quinque sentire debemus secundum omnes quinque sensus, 1. Sẽsu auditus audire debemus clamorem validum, quo Iesus emisit spiritum, vt ipse in hora mortis nostræ suscipiat nostrum spiritum. 2. Visu colorem liuidum & vulnera, vt in hora mortis liuore eius sanari possimus. 3. Olfactu odorem placidum, quo in cruce tradidit semetipsum
Eph. 5. oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. 4. Gustu amorem feruidum, quo dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, vt suo sanguine vulnera nostra lauet. Tandem tactu dolorem nimium, quo maior vnquam non fuit. Igitur sentiat auditus credendo per fidem, visus intuendo per meditationem, olfactus attrahendo per deuotionem, gustus condolendo per charitatem, tactus imitando per patientiam.

Sermo. *Vide* Loqui

1. *Sermo malus multiplex.*

2. *Sermo qualis esse debet in multis loquutionibus.*

3. *In sermone quæ vitanda.*

1. SErmo malus censetur ille, qui Primò est falsus. 2. Qui ociosus, de quo reddetur etiam ratio. 3. Qui inhonestus. 4. Qui indiscretus: nam ille inducet mala. 5. Qui importunus, ideo Apost. *Argue opportunè.* 6. Qui obscurus, id est, detractorius. 7. Qui Sophisticus: nam *ille odibilis* dicitur. 8. Qui immoderatus: nam *in multiloquio non deest peccatum.* 9. Qui iniquus, id est, proximo iniurius, *Formant* enim *tales sermonem nequam.* Tandem decimò qui superbus: *Disperdet enim Dominus linguam magniloquam.*
Sermo malus. Matt. 12. 2. Tim. 4. Eccli. 37. Prou. 10. Psal. 63. Psal. 11.

2. *Sermo* noster, qui *semper* debet esse *sale* discretionis *conditus*, debet esse in confessione peccatorum tristis, in amaritudine animæ. In oratione silēs vt Anna, cuius *vox penitus non audiebatur.* In prædicatione instanter prolatus, cum omni imperio. Tandem in quacunque tandem necessitate breuis, ne tædio afficiantur audientes.
Sermonis qualitas. 1. Reg. 1. Tit. 2.

3. In sermone publico vitanda in primis pompa & fastus. 2. Curiositas & subtilitas. 3. Falsitas & duplicitas. 4. Obscuritas. 5. Prolixitas. Sextò iactantiæ vanitas. Septimò tandem dissolutio & scurrilitas. Hinc Apost. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed qui bonus est ad ædificationem.*
Sermonis vitia. Eph. 4.

Seruitus, Seruire.

1. *Seruitus mala vitanda multiplex.*
2. *A Dei seruitio qua retrahunt.*

Seruitus mala. 1. MVltiplex est seruitus mala & vitanda. Prima est seruitus legis
Gal. 4. Mosaicæ, *Qua seruiebat cum filiis suis.* 2. Infidelitatis & idololatriæ, in quo seruitur creaturæ & non Deo. Et est seruitus
Sap. 1. crudelis, *qua requiem non dat die neque no-*
Hier. 15. *cte.* 3. Est voluptatis & immunditiæ: De
Philip. 3. quibus Apost. *Quorum Deus venter est.* 4. Gulæ & Gastrimargiæ: nam huiusmodi ventri suo seruiunt, non Deo. 5. Cupidita-
Rom. 13. tis & auaritiæ, quæ *idolorum seruitus* dici-
Deut. 5. tur. 6. Vanitatis mundanæ, quæ est *domus seruitutis.* Septima Tandem præsentis miseriæ: vnde Psalm. *Educ de carcere ani-*
Psal. 141. *mam meam.*

Seruitiū Dei impediētia. 2. A Dei seruitio retrahit: Primò mundus & mundi fauor: *Nam amicitia huius*
Iacob. 4. *mundi inimica est Deo.* 2. Amor nummi,
Matth. 6. non enim *potest quis Deo seruire, & mammona.* 3. Error vulgi; ille enim dicit illud,
Ioan. 8. quod Iudæi, *Nemini seruiuimus vnquam,* cùm tamen maximè serui essent vitiorum & peccatorum suorum. Quartò libertas carnis in Gula & luxuria, vt patet in illis,
Luc. 14. qui vocati dixerunt, *Non possum venire.*

Synderesis, Conscientia.

Quid sit Synderesis, & quid Conscientia, & quotuplex & quomodo & ex quibus causis sapè erret.

SYnderesis est vis rationis motiua, quæ figitur, & contemplatione versatur circa cœlestia & diuina, naturaliter mouens & stimulans ad bonum, & abhorrens & auertens à malo, & in cogitatione boni & mali in genere, non errat. Dicit enim omne bonum esse faciendum, & malum fugiendum. Quare eius officium est, gaudium excitare ex bono facto & completo, & remordere de malo commisso. Qua ratione hanc pædagogum vocauit Origenes, eò quòd sicut pædagogus clientem adigit ad bonum, & auertit ac compescit à malo, sic Synderesis ad bonum non tantùm inuitat, sed excitat & mouet, & à malo deterret. *Conscientia* verò, secundum Damascenum, *est lex intellectus nostri.* D. Basilius dicit esse, *Rationale iudicatorium.* Alij dicunt, quòd *conscientia est cognitio suiipsius.* Alij quòd sit *habitus agendorum & non agendorum, boni & mali discretiuus.* Item, *Est credulitas intentionis ad aliquid faciendum, vel non faciendum.* Notandum est, quòd quædam conscientia est recta, qaando coniungitur Synderesi; quandoque erronea, errãs in iudicio boni

Synderesis quid.

Cõscientia quid.

aut mali; quandoque minus stricta, quandoque minus laxa; stricta generat sæpe pusillanimitatem & desperationem; laxa præsumptionem & negligentiam. Errat autem sæpè conscientia. 1. Ex ignorantia, nesciens quid agendum, vel non. 2. Ex negligentia discussionis. 3. Ex superbia, nolens intellectum humiliare, vt sapientioribus credat. 4. Ex singularitate proprij sensus. 5. Ex affectu inordinato, qui sæpè inclinat conscientiam, ad id quod sensualitas vehemens appetit. 6. Ex humilitate & puritate cordis, de qua dicit D. Gregorius: Bonarum mentium est culpas agnoscere, vbi culpa non est, vltimus tamen error non est, sed humilis defectuum cognitio. Quare necessarium est; vt quisque suæ salutis amans, regimen & directionem suæ conscientiæ, docto, prudenti, & fideli confessario committat, qui verè sit pater, ne ex singularitate homo sæpè errans Diaboli laqueis capiatur in perniciem salutis suæ.

Error cõscientiæ vnde.

Societas, Socius.

1. *Societas quædam bona, quædam mala.*
2. *Societatem pauperum non debemus spernere.*
3. *Socius pauperum fuit Christus ac paupertatem amans.*

1. Societas bona quadruplex inuenitur. Prima est diuinarum personarum, de qua dicitur, *Societas nostra sit cum Deo Patre & Spiritu sancto*, &c. Hæc confert summam iucunditatem; nullius enim rei sine socio iucunda est possessio. 2. Angelorum Sanctorum, qui comitantur iter nostrum. 3. Virorum iustorum; *melius enim est esse duos simul, quàm vnum* solum. 4. Et beatorum, quorum si socij fuerimus passionum, erimus & consolationis. Societas verò mala prima est apertè malorum: De qua dicitur, *Principes tui infideles, socij furum*. Tales erant socij Herodes & Pilatus. 2. Est Hypocritarum, quæ est lupi & vulpis. 3. Dæmonum, & hæc est Societas catti & muris. 4. Est damnatorum, à quorum societate liberet nos DEVS. *Societas bona.* *1. Ioan. 1.* *Tob. 5.* *Eccli. 4.* *Mala.* *Esaia 1.*

2. Pauperum verò societas non contemnenda: sed debemus tales amare. Hinc Saluator, *Cùm facis prandium aut cœnam, voca pauperes*. Sic faciebat Tobias. 2. Libenter audire: *Qui* enim *obturat aures ad clamorem pauperum*, &c. *non exaudietur*. 3. Libenter videre & affabilem esse: ideo dicitur, *Non auertas oculos tuos ab vllo paupere & eius congregationi affabilem te facito*. 4. Eis compatiendo. Quintò eis bene faciendo: *Dando de primitijs frugum tuarum pauperibus*. Et Tandem eos à malo tuendo: vnde Iob, *Pater eram pauperum*, &c. *Pauperũ societas.* *Luc. 14.* *Prou. 21.* *Ecc* *Iob. 31.* *Prou. 30.* *Iob. 31.*

Christus pauperũ socius. 3. Pauperum socius fuit Christus, qui paupertatem suasit & amauit: De paupere matre nascendo, in Natiuitate cum pauperibus, & vilibus pannis vtendo, in paupertate cum hominibus conuersando, pauperes discipulos eligendo, Pauperes spiritu beatificando, & pauperibus euange- Luca. 4. lizando: hinc Propheta, *Spiritus Domini super me, ad Euangelizandum pauperibus misit me.*

Sors.

Sors communis hominum, quæ & de quadruplici sorte bona & mala.

Sors bona. Communis omnium hominum sors est ipsa mors, vt patet, quia nullus mortalium eam recusare potest. Specialiter tamen sors accepta duplex est, bona & mala. Bona verò est quadruplex. Prima prædestinationis diuinæ, de qua dici- Ephes. 1. tur ab Apost. nos *sorte vocati sumus* præ- Psal. 30. destinati, &c. 2. Collationis gratiæ: De qua Act. 1. Propheta, *In manibus tuis sortes meæ.* Coll. 1. 3. Societatis Apostolicæ: nam *cecidit sors super Matthiam.* 4. Beatitudinis æternæ in societate Sanctorum: De qua Apost. *Qui* Mala. *dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine gloriæ.* Mala verò etiam est quadruplex. Prima est voluntatis propriæ, quæ est inobedientium, hac sorte com- Ionæ 1. prehensus est Ionas. 2. Carnalis lasci-

uiæ, quæ eſt voluptuoſorum; ſic enim illi, *Quoniam hac eſt pars noſtra, & hac* *Sap. 2.*
eſt ſors noſtra. 3. Temporalis opulentiæ, quæ eſt auarorum: ideò Salomon, *Fili ſi* *Prou. 1.*
lactauerint te peccatores, &c. *Dicentes, ſortem mitte nobiſcum, non acquieſcas eis.*
4. Quæ ad prædictas ſortes ſequitur, eſt gehenna: *Nam anima nequam diſperdet* *Eccli. 6.*
& deducet in ſortem impiorum.

Species, pulchritudo.

Multiplex ſpecies ſiue forma in ſacra Scriptura.

SPecies ſeu formæ qualitas, ſeu pulchritudo, Quædam eſt rationalis, ſe- *Species multiplex.*
cundùm quam eſt homo & animal rationale, cuius dignitas tãta eſt, vt ea ſola ſufficiat ſe conſiderãtem abſtrahere ab omni peccato: De qua Iob dixit, *Viſitans ſpeciem* *Iob. 7.*
tuam non peccabis. 2. Eſt corporalis & naturalis, quæ magis ſe oſtendit in facie & debita diſpoſitione corporis: De qua illud intelligitur, *Species Priami digna eſt imperio.* Cuius incauta conſideratio in fœminis, multis eſt occaſio perditionis; dum enim decorem oris & formæ aſpiciunt, decorem animæ ſuæ defœdant fœda libidine, ac concupiſcentia. 3. Eſt artificialis, ſecundùm quam imago dicitur ſpecioſa, & hæc eſt conductitia, & eſt meretricum aut ſaltem laſciuarum & mente corruptarum,

Eccli. 9. quare optimè Sapiens, *Auerte faciem tuam à muliere compta*. 4. Est superficialis, quæ assumitur & deponitur ad quæstum, & est hypocritarum, qui fingunt speciem, quam non habent, & tales sunt de quibus Apost. 2. Tim. 3. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. 5. Est spiritualis, secundùm quam anima dicitur speciosa. Hanc amat & considerat Dominus, & est Psal. 44. Iustorum, de qua dicitur, *Et concupiscet Rex decorem tuum*, &c. Sexta tandem est æternalis, & est gloriæ, & hæc est electorum. Eccli. 42. De qua dicitur, *Species cœli in visione gloria*, Sap. 5. in qua *accipient* Iusti *regnum decoris & diadema speciei de manu Domini*.

Spes.

Spes qua virtus, & quinam eius effectus, & quibus comparetur.

Spes quid. SPes, quæ virtus est Theologica, eò quòd proximè habet pro obiecto ipsũ Deum, *Est certa expectatio futura beatitudinis ex gratia & meritis proueniens*. Certitudo huius spei non est rationis, sed opinionis, qua vni parti consentitur, quia fortiori ratione probatur; cum formidine tamen. Huius expectationis causa principalis est Gratia Dei, & non nostra merita, quia opera nostra non sunt meritoria nisi ex gratia Dei; sine meritis tamen aliquid

ſperare, non eſt ſpes, ſed præſumptio. Certitudo ergo ſpei oritur, 1. Ex diuina largitate. 2. Ex abundantia meritorum. 3. Ex promiſſione æternorum. Duplex autem eſt ſpes. 1. Propriæ authoritatis diuinæ, quę conferre poteſt ea, quæ ſperamus, & hæc poſita eſt in ſolo Deo. 2. Eſt ſuffragij & hæc tutò ponitur in Sanctis, citra iniuriam Dei. Effectus autem ſpei eſt multiplex. 1. A tribulatione liberat. Exemplum patet in Suſanna & Daniele. 2. In tribulatione confortat, vt patet in Machabæis. 3. Mentem eleuat; *aſſumit* enim *pennas qui ſperat in Domino* 4. Saluat ſperantes ſcilicet in Domino. 5. Temporalia miniſtrat: *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam*, &c. Comparatur autem ſpes Galeæ, Anchoræ, medicinæ, gemmæ, ſolatio, vitæ ligno. *Pſal. 21. Dan. 13. Eſai. 40. Pſal. 16. 1. Theſſal. 5. Heb. 6. Pſal. 25. Prou. 16. Heb. 6. Sap. 3.*

Spiritus.

1. *Nomine Spiritus quid intelligatur, & plures Spiritus.*
2. *Spiritus huius mundi malus & ſeptiformis.*

1. MVlta ſunt quæ hoc nomine Spiritus vocantur. Sumitur enim Primò pro affectu, & animi motu, & ſecundùm bonũ vel malum motũ, dicitur Spiritus vel bonus vel malus. Quãdo Spiritus bonus eſt ex animi motu bono, dicitur Spiritus talis, v. g. ſi motus eſt ex humilitate eſt Spiritus *Spiritus quid.*

humilitatis, si ex clementia & bonitate; sic dicitur etiam spiritus bonitatis & clementiæ, compunctionis,&c. Si motus est malus vel ex luxuriæ vel blasphemiæ propensione, dicitur spiritus luxuriæ, iræ,&c. 2. Accipitur pro subtilibus vaporibus, quos medici vocant spiritus, & sunt tres, naturalis, vitalis, & animalis. Quibus amissis vel corruptis viuens languet, & tandem moritur; & illis bene constitutis, viget homo, & valet sanitate. 3. Sumitur pro anhelitu, quem attrahimus & emittimus spirando. 4. Pro anima, in quantum animat corpus. 5 Tandem pro spirituali natura, siue ea sit anima rationalis, siue Angelica, vel diuina natura. De homine

Eccli. 30. vel anima, patet, *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* De Angelica

Psal. 103. natura patet, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos*, &c. De diuina natura

Ioan. 4. patet, *Spiritus est Deus*, &c.

Spiritus mundi.

2. Spiritus huius mundi, qui animalis est, & Diabolicus à B. Iacobo dicitur; est septiformis. Primus est luxuriæ, qui est à cō-

Cap. 3. cupiscentia carnis. 2. Auaritiæ, qui est à concupiscentia oculorum. 3. Gulæ, qui est spiritus in modum ranarum, *exiens de be-*

Apoc. 16. *stiæ ore*. 4. Iracundiæ, qui immissus est à Domino in Saül 5. Est inuidiæ, iste agitabat fratres Ioseph. 6. Est mendacij; sic erat Spiritus Sedechiæ, qui prophetauit Achab omnia prospera. Tandē Septimus est Acediæ: iste agitabat Filios Israël vt peterent ollas

ollas carnium, Ægyptumque præferrent terræ promissionis.

Spiritus Sanctus.

1. *Præsentia Spiritus sancti ex effectibus spiritus vitalis agnoscitur.*
2. *Spiritus sancti qui effectus.*
3. *Spiritus sanctus à multis ignoratur.*

1. SIcut Spiritus vitæ in homine, anima scilicet, manifestatur per actiones vitæ: sic Spiritus sanctus in anima præsens colligitur. Manifestatur enim Spiritus humanus primò per sensuum vsum, sic Spiritus sanctus per sensum prouidæ discretionis. 2. Per motum membrorum: sic Spiritus sanctus per motum bonæ operationis. 3. Per loquutionem: sic Spiritus sanctus per verbum rectæ loquutionis. 4. Per gemitum & fletum siue halitum: Sic Spiritus sanctus per suspirium sanctæ meditationis & fletum internæ compūctionis. 5. Per gustum: sic Spiritus sanctus per gustum diuinæ dulcedinis. 6. Per tactum: Sic Spiritus sanctus per tactum probationis in aduersis. Tandem Octauò per Auditum diuini sermonis: nam cùm loqueretur Petrus, *Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Spiritus sancti manifestationes. *Act. 10.*

2. Spiritus sanctus multa operatur. Primò roborat, hoc orat Apost. Vt fideles possint *corroborari per Spiritum.* 2. Con- *Sp. S. operationes.* *Eph. 3.*

Ioan. 15. fortat. Ideò dicitur Paracletus, id est, Consolator. 3. Adiuuat infirmitatem nostram.
Rom. 8.
Ioan. 14. 4. Postulat gemitibus inenarrabilibus. 5. Docet & quidem omnia, & suggerit omnia. 6. Arguit, & quidem ipsum mundum. 7. Loqui facit: ille dat *os & sapientium cui nemo* Sapientiũ *resistere potest*.
Ioan. 15.
Act. 19. 3. Spiritus ille ignoratur ab indoctis: nam multi sunt qui an sit Spiritus sanctus non nouerunt, quia nunquam eius gratiam gustauerunt. 2. Fugatur ab hypocritis: nam ille effugiet fictum, id est hypocritam 3. Extinguitur à negligẽtibus & acediosis, ideo Apost. *Spiritum nolite extinguere*. 4. Affligitur ab iracundis, & malignis, qui iuxta Prophetam affligunt Spiritum sanctũ eius. 5. Contristatur à superbis & rebellibus, vt dicitur: *Nolite contristari Spiritum sanctum*. 6. Contumelia afficitur ab immundis & luxuriosis, vt dicit Apostolus. 7. Blasphematur à maledicentibus & blasphemis. 8. impugnatur ab infidelibus hæreticis obstinatis, qui semper *dura ceruice Spiritui sancto* resistunt. Tandem non accipitur à mundo & mundanis, quia *ille eum non potest accipere*.
Ignoratur à multis.
Sap. 1.
1. Thessal. 5.
Esai. 63.
Ephes. 5.
Heb. 10.
Act. 7.
Ioan. 14.

Stare, Perseuerare.
Cadere.

1. *Perseuerantia virtus, & quid, eius effectus.*

2. *Septem faciunt nos stare siue perse-*

uerare.

3. *Ad casum nos impellunt octo.*

1. PErseuerantia est quæ hominem in virtutibus stare facit, & à casu præseruat, quare multa habet Epitheta in sacris litteris. Est enim primò virtus boni operis, & vitæ bonorum operum conseruatrix: nam sine ea nec gratia iustificans, nec virtutes morales, nec Theologales, sed nec præsens Sanctitas, & Iustitia quidquam valet aut prodest. Est 2. Via consummata, quia est finis & meta omnis laboris nostri: nam non inchoātibus, non benè proficientibus, sed perseuerantibus promittitur corona gloriç. 3. Est virtus perfectissima, quia tunc placet Deo bonum quod facimus, quando illud constanti fine complemus. Est 4. à Diabolo maximè impugnata. Nam omnes virtutes currunt ad stadium, sed sola perseuerantia accipit coronam. Ideò dicitur, *Va illis qui perdiderunt sustinentiam*, id est perseuerantiam boni operis. Igitur cùm aliæ virtutes hominem dirigant in viam salutis, sola perseuerantia obtinet gloriam. Perseuerantia quid. Eccli. 2.

2. Septem virtutes nos faciunt stare, id est, perseuerare. Primò fides, ne infidelitas frangat: *Rami* enim *propter infidelitatem fracti sunt.* Et alibi, *fide statis.* 2. Spes, ne desperatio prosternat: *Stamus* enim *&* *gloriamur in spe filiorum Dei*, inquit Apost. 3. Charitas, ne cupiditas deijciat: Perseuerantiæ comites. Rom. 11. 2. Cor. 5. Rom. 5.

Phil. 3. Sic *State in charitate charissimi* 4. Iustitia, *Eccli. 2.* ne iniquitas peruertat: *Sta igitur in iustitia*, inquit Sapiens. 5. Prudentia, ne stultitia confundat, ideò *super custodiam standum* *Abac. 2.* & contemplandum. 6. Fortitudo, ne instabilitas moueat; ideò Apost. *Sic state* *Phil 4.* *in Domino charissimi.* Tandem. 7. Temperantia, ne excessus subuertat. Sic Apost. *Ephes. 6.* *State succincti lumbos vestros.* Ergo infidelitas frangit, desperatio prosternit, cupiditas deijcit, iniquitas peruertit, stultitia confundit, instabilitas mouet, & excessus subuertit.

3. Præter dicta, Ad casum nos impellunt *Casus vnde.* Primò debilitas virium, per tepiditatem. 2. Onus pæceptorum, per negligentiam pœnitẽdi. Tertiò multitudo trahentium, per impulsum hostium. 4. Lubricitas viarum, quod contingit per incautam custodiam sensuum. 5. Varietas offẽdiculorum, seu Diaboli laqueorum, quod contingit per amorem creaturarum. 6. Ignorantia agendorum, per negligentiam sciendi necessaria. 7. Exempla cadentium, quod fit per imitationem malorum. Octauò tandem ponderositas corporum, quod contingit per carnis fomentum multiplex.

Stultitia.

Stultitiæ multa signa.

Stultitiæ signa. *Prou. 5.* STultitiæ signum est Primò citò decipi, quia *stultus in multitudine stultitiæ*

ſua decipetur. 2. Vix corripi ; *nam centum plagæ non proficiunt apud ſtultum.* 3. Impetuosè loqui : nam *hoc eſt hominis ſtulti, velocem eſſe ad clamandum.* 4. De facile iraſci, quia *ira in ſinu ſtulti requieſcit.* 5. Cum ſtultis conuerſari, *amicus ſtultorum ſimilis efficietur.* Tandem 6. Delectabilia ſequi : nam *ſtultorum eſt, noxia ſibi ſequi.*

Prou. 17. *Ibid. 29.* *Prou. 7.* *Ib. 13.* *Ib. 14.*

Superbia.

Superbia quale vitium, & quæ eius nocumēta.

Superbia quid.

REgina omnium vitiorum Superbia, nam Eſt peruerſæ celſitudinis appetitus, qui ſtare non poteſt niſi cum cōtemptu proximi, quare omnium peccatorum quæ in Deum committuntur & in proximum, Superbia eſt radix. Immò ſicut charitas eſt in omnibus virtutibus, eis vitam tribuens : ſic Superbia in omnibus vitijs eam nutriens. Superbia Deo odibilis, quia quod Dei eſt vſurpat, ſcilicet excellētiam. Etiam perfectos impugnat complacentia ſuæ virtutis gratiam homini aufert & Deo priuat : nam inuidia proximū mihi aufert, ira meipſum, ſuperbia Deum : facit hominem membrum Diaboli, ipſe enim eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, magna pro modicis vendit, gloriam cœleſtem, pro vana huius ſæculi gloria. Tandem hominem, ſicut Luciferum deiecit, in inferni ima deijcit.

Tabernaculum.

1. *Quatuor tabernaculorum genera in scripturis.*
2. *Explicatur mysticè tabernaculi Moysis constitutio, & anagogicè.*

Taberna-culorum genera.

1. QVatuor genera tabernaculorum Sacra scriptura memorat. Prima sunt tabernacula peccatorum, & hæc non inhabitanda, sed contemnenda. Primò, quia fragilia & ruinosa, dicente Propheta, *Tabernaculum impiorum non subsistet.* 2. Quia amara & angustiosa: nam teste eodem Propheta, *Impius affligetur relictus in tabernaculo suo*, 3. Quia noxia & periculosa. Ideò optat Propheta vt *in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*, ne inuoluantur peccatis eorum. Secunda tabernacula sunt damnatorum. Et hæc sunt tabernacula hominis iniqui, in quibus est timor ex obscuritate, dolor ex supplicij æternitate, *Quia auellitur de illo tabernaculo fiducia.* Horror ex societate, fœtor ex sulphure & fœcibus Elementorum. Tertia tabernacula sunt iustorum: Ecclesia scilicet vel Religio, in quibus exauditur *vox exultationis & lætitiæ.* Hæc sunt amanda, quia ibi est pax, ex temporalium abiectione, scilicet, vbi exulat *meum & tuum*. 3. Est ibi securitas ex Dei & Angelorum & piorum hominum protectione: vnde Psalmista,

Iob. 8.

Iob. 20.

Psal. 68.

Iob. 18.

Ps. 117.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula, protegar in velamento alarum tuarum. Non immeritò dixit D. Bernardus quodam loco, *In religione viuit homo puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs; irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, & præmiatur copiosiùs.* 3. Est ibi interna delectatio ex secreta Dei alloquutione, quam optabat Iob Propheta, *Quis mihi det, vt sim iuxta dies pristinos, quando Deus erat secretò in tabernaculo meo?* Quarta tabernacula sunt electorum: De quo Psalmista, *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* &c, Verè dilecta propter tria. 1. Quia iucunda & gaudiosa, propter Dei societatem, propter exultationes Dei in gutture eorum, & propter fercula diuinæ gloriæ. 2. Quia pacifica & secura, propter pulchritudinem pacis & requiem opulentam. 3. Quia ęterna & inamissibilia, propter immutabilitatem ęternitatis, lętitiam perpetuæ solemnitatis, & æternam opulentiam diuinæ gloriæ.

Homil. Ecce nos reliquimus omnia.

Iob. 29.

Psal. 83.

2. Tabernaculum vetus fabricatum à Moyse habebat triginta cubitos in longitudine, & interposito velo diuisum fuit in duas partes. Prima pars erat viginti cubitorum. 2. Decem. Primã partem vocauit Apostolus *primũ tabernaculum*, Secundam verò, *secundum tabernaculum.* In primo ęrant Candelabrum, mensa propositionis panum, quæ dicitur sancta, & significat

Tabernaculi veteris fabrica.

Heb. 9.

Ecclesiam militantem; Candelabri autem stilus significat Christum Ecclesiam illuminantem; tria brachia à sinistris significant Sanctorum antiquorum Ordinem, id est, continentium, coniugatorum ac Prælatorum: tria verò à dextris Sanctorum nouorum trinum ordinem prædictum. Mensa significat Sacræ scripturæ refectionem; panes duodecim, duodecim Apostolorum officium & prædicationem; panum renouatio Apostolici officij successionem; thus verò interpositum, orationis pro populo commisso deuotionem. Secundum verò tabernaculum, quod significat Ecclesiam triumphantem, habet thuribulum aureum, quod significat Christi charitatem. Arca Testamenti scientiæ Christi plenitudinem, Virga Aaron potestatem sacerdotalem, vrna aurea habens Manna, diuinę fruiti onis delectationem. Tabulę testamenti, legislatoris Christi dignitatem; Cherubin gloriæ obumbrantia, Angelorum ad Christum reuerentiam & adorationem; Propitiatorium, eius pietatem & propitiationis abundantiam.

Eius mystica significatio.

2. Mysticè ac moraliter primum Tabernaculum significat Christum Saluatorem propter naturę assumptionem & gratię protectionē, & apertam visionem. Secundum Tabernaculum est Maria Virgo, quę est tabernaculum fœderis, sanctificatum à Deo, per plenitudinem gratię in mente. 2. à Deo inhabitatum, per plenitudinem diuini-

diuinitatis in vtero ventris. 3. A Deo eleuatum, per plenitudinem beatitudinis. Tādem vtrumque tabernaculum significat gloriam Cœlestem, quam introiuit Christus, *Æterna redemptione inuenta*, vt *appareret vultui Dei pro nobis.* Heb. 9.

Templum.

Ex Templi materialis consecratione quomodo anima nostra in Templum spirituale sit consecrandum ostenditur.

IN consecratione Templi multa fiunt quæ non carent tum mysterio tum doctrina. Relictis autē mysticis significationibus, quæ passim habentur, ad doctrinam obseruandum, eodem modo consecrari animam Christianam in Templum Deo, sicut domus materialis: nam in istius consecratione Primò, eijciuntur mortuorum infidelium ossa: sic in spirituali consecratione eijci debēt peccata per confessionē. 2. Sparguntur cineres per pauimentum: sic nos cineres humilitatis. 3. Omnes literæ Alphabeti in pauimēto cinereo inscribuntur, sic nos legem & meditationem in corde. Quartò, Aqua benedicta abundanter inspergitur: sic nos lachrymas ex oculis cū fletu deducamus. 5. Cruces depinguntur in parietibus: sic nos in corpore eas scribere debemus per carnis mortificationē. 6. Depictæ cruces chrismate inungūtur: sic nos inungi debemus, per mentis sanctitatem Cōsecratio Templorum.

& lætitiam. 7. Luminaria vbique accenduntur: sic nos per splendidam conuersationem lucem accendere debemus. 8. Circumitur pluries ipsa Ecclesia: sic nos cor nostrum per circunspectionem. 9. Nomen alicuius Sancti datur Ecclesiæ vel altari: & nos aliquem Sanctum imitandum colere debemus. Tandem Decimò celebratur assiduè Missa: sic nos celebrare oportet laudes Dei, cum gratiarũ actione.

Tempus.

1. *Tempora nouissima erunt periculosa.*
2. *Tempus præteritum, præsens, & futurum recogitandum.*

Tempora periculosa. 1. Nouissima tempora erunt periculosa. Primò propter magnitudinem tribulationum, quæ erit talis, *vt maior non fuit ab initio mundi.* 2. Propter liberam Dæmonum potestatem: Tunc enim *soluetur Diabolus qui dicitur Sathanas.* 3. Propter multitudinem peruersorum & peruertentium: *Surgent enim Pseudopropheta, & seducent multos.* 4. Propter raritatem Sanctorum, *quia refrigescet charitas.*

Matth. 24. *Apoc. 20.* *Matth. 24.* *Ibid.*

Recogitãda tempora. 2. Recogitandum est autem tempus præteritum vt pro beneficijs acceptis gratias agamus. 1. Pro beneficio Creationis, Redemptionis, Incarnationis, Passionis, & Iustificationis. 2. Debemus tempus præteritum recogitare, vel mala in eo com-

missa, vt pœniteamus. 3. Vt attendamus ad exemplaria verorum, vt ad similia animemur. Item debemus præsens tempus ordinare considerando eius acceptabilitatem, quia hæc mouet ad benè operandum. 2. Eius breuitatem, quæ vrget ad instanter operandum. 3. Eius irreuocabilitatem, vt continuè & vsque in finẽ operemur bonũ, &c. Tandem debemus tempus futurum præuidere, ne dum *tempora labuntur tacitisque senescimus annis*, spatium pœnitentiæ quæramus, & non inuenire valeamus.

Tentatio.

Quadruplex tentatio, & per quæ in tentationem homo ducitur, & à quibus, & quæ remedia.

QVadruplex inuenitur tentatio. Quarum prima est fraudulentiæ, id est, ad fraudem, vt patet in Anania & Sapphira: *Cur*, inquit Petrus, *tentauit Sathanas cor tuum*. 2. Est diffidentiæ, & fuit Israëlitarum in deserto: De qua Apost. *Neque tentaueritis Deum, sicut quidam tentauerunt, & perierunt ab exterminatore*. 3. Est experientiæ, sic *tentauit Deus Abraham*. 4. Est concupiscentiæ ad peccandum. Et hæc rursum triplex est. Prima à Diabolo per modum suggestionis, vel per modum afflictionis. Prius patet in primis parentibus, posterius in B. Iob. 2. Est à mundo, qui vanitate,

Tentatio multiplex. *Act. 5.* *1. Cor. 10.* *Gen. 22.*

vel voluptate allicit, vel persequutioné frāgit.3. Est carnis, quæ per sensualitatem ac fomitem ad peccatum impellit, quibus ratio consentiens peccatum perficitt. Ex quibus patet, quòd per tria homo in tentationem ducitur; primò per suggestionē,
Causæ. quæ tentationē inchoat: deinde per delectationem progreditur, & per consensum consummatur. Sunt adhuc alia tria per quę quis in tentationem ducitur & detinetur, opus prauum sæpius reiteratum, consuetudo, & desperatio. Patet. 2. Quòd tentatio cui non consentitur, non sit peccatum, sed
Remedia materia exercendæ virtutis. Contra tentationes dedit nobis Dominus Deus tria remedia: nam contra Diabolum habemus Angelos bonos, qui ad bonum stimulant, & contra Diabolum defendunt. Contra mundum habemus Sanctorum exempla, quos nonalliciebant mundi blandimenta, nec terrebant supplicia. Contra carnem habemus primò bona naturalia, synderesin & irascibilem, quæ naturaliter nos docent non acquiescere carni, sed spiritui. Deinde habemus gratiam, charitatem, & virtutes, & timorem Domini, per quæ carnis vitia mortificamus. In omnibus tentationibus nulla periculosior quàm illa fraudulenta, quando Diabolus se transfigurat in Angelum lucis, id est, quando sub specie virtutis, vitia inducere conatur. Hoc fit sæpè, quòd suadendo honestatem, inducit superbiam; suadendo discretumob-

ſequium inducit carnis commodum ; ſuadendo iuſtum iudicium, inducit crudelitatem ; ſuadendo miſericordiam, inducit remiſſionem & negligentiam ; ſuadendo liberalitatem, inducit prodigalitatem, &c. In talibus præterquàm quòd periculoſiſſimum ſit periculum non videre, eſt opus magna diſcretione & conſilio : nam hiſce etiam prudentiſſimi & doctiſſimi laqueis Dæmonis ſæpè capiuntur. Remedia igitur tentationum ſunt, memoria Dominicæ Paſſionis, mortificatio carnis, vtile exercitium, conculcatio in principio tentationum, humilis agnitio & confeſſio propriæ fragilitatis, & humilis oratio cum lachrymis.

Teſtamentum.

1. *Euangelium dicitur teſtamentũ & nouum.*
2. *Teſtamentum cur non valet dum viuit teſtator.*

1. EVangelium meritò dicitur Teſtamentum. 1. Quia ore Chriſti teſtatoris dictatum : *Hic calix nouum Teſtamentum in meo ſanguine* : Et, *Hic eſt Calix Sanguinis mei noui & æterni Teſtamenti.* 2. Quia annulo fidei conſignatum. 3. Teſtium ſubſcriptionibus, id eſt, Apoſtolorum prædicationibus roboratum. 4. Hæreditatis inſtitutione vallatum ſeu munitum: *Ego diſpono vobis regnum*, &c. 5. Legatorum ma-

Teſtamẽ tum nouum. *Luc. 22. Matth. 2?* *Luc. 2?*

Ioan. 15. gnitudine datum; pace scilicet & miracu-
Marci 16. lorum gloria & sessionis iudicij ad iudicā-
Matth. 19 dum authoritate. 6. Exequutorum ordinatione subscriptum, qui ligant & absoluunt à peccatis, & applicant thesaurum, facientes sacrificium in eius memoriam. 7. Morte testatoris consummatum: nam *In-*
Ioan, 19. *clinato capite tradidit spiritum.*] Tandem Octauo, immutabiliter obseruandum. Dicitur verò nouū, quia à nouo homine, qui Deus est, conditum, Christo Seruatore. 2. Quia in eo *noua omnia facta sunt.*
Apoc. 21. 3. Quia noua præcipiuntur, quia *nouum*
Ioan. 13. *mandatum.* 4. Quia noua promittuntur
Esa. 64. scilicet gaudia quæ *nec oculus vidit*, &c. 5. Quia gratia renouans infunditur. 6. Quia omnia renouanda docet: nam Ioannes vidit cœlum nouum & terram nouam.

Testam quando valeat. 2. Testamentum quodpiam non valere dicitur, dum viuit qui testatus est, quia potest mutari, deinde quia non potest aperiri. 3. Quia non potest ex eo hæreditas adiri. 4. Quia non potest ex eo legatū peti.

Testis, testimonium.

Vide Homo.

Quadruplex testis malus, & triplex bonus & fidelis.

Testis malus. QVadruplicem testē reprehendit Scri-
Prou. 12. ptura. Primò falsum testē qui aperta
Ibid. mendacia fingit: nam ille iuxta Salomonē *non erit impunitus.* 2. Fraudulentum, qui

contra ſcientiam & conſcientiam negat, *Ibid.*
affirmat, vel abſcondit. 3. Temerarium &
repentinum, qui dubia pro certis aſſerit;
annon talis concinnat linguam mendacij?
4. Iniquum, qui bona in malum vertit, ac
interpretatur: De quibus, *Teſtes iniqui in-*
ſurrexerunt aduerſum me. Teſtis verò bo- *Pſal 34.*
nus & fidelis, Eſt 1. Vita; nam vt rectè *Bonus.*
Chriſtus, *opera quæ ego facio, teſtimonium* *Ioan. 10.*
perhibent de me. 2. Hominum fama: ideò di-
cebat Apoſt. de Epiſcopo, *Oportet illum bo-* *1. Tim. 3.*
num teſtimonium habere ab his qui foris ſunt.
At, *famâ falli quis poteſt*, inquit Seneca.
Sic etiam vita quæ per hypocriſim fucari
poteſt: At *conſcientiâ nunquam.* quare teſtis
omni exceptione maior eſt conſcientia:
De qua Apoſt. *Teſtimonium illis reddente* *Rom. 2.*
conſcientia illorum.

Timor.

1. *Sex ſpecies ſunt timoris.*
2. *Timor humanus & mundanus vituperabilis, & ex quibus oriatur.*
3. *De timore ſeruili, initiali, & filiali.*

1. TImor qui ab Auguſt. dicitur *fuga* *Timoris*
mali, habet ſex ſpecies. Primus eſt *ſpecies.*
naturalis, quo quilibet naturaliter quoduis
detrimentum naturæ timet; iſte nec meri-
torius nec culpabilis, quia non ſubeſt li-
bero arbitrio. Et dicitur naturalis à natura
deſtituta, quia iſte timor eſt pœna pro

primo peccato inflicta. 2. Est timor humanus, quo quis timet pelli suæ. 3. Est timor mundanus, quo quis nimis timet suis rebus spoliari. 4. Est timor seruilis, quo quis timet peccare primò & principaliter propter pœnam 5. Est timor initialis, quo quis timet pœnam & Dei offensam. Sextus est timor filialis, quo quis primò timet Dei offensam, & separationem à Deo. Est alius timor reuerentiæ qui solus erit in Patria,
Psal. 18. de quo intelligitur illud, *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.*

Timoris origo. 2. Oritur autem timor humanus ex nimio amore præsentis vitæ; & est ille, quo quandoque quis peccaret potius mortaliter, quàm amitteret vitam: & iste est vituperabilis, quia mortalis & non cadens in virum constantem; tunc verò est venialis & cadens in constantem virum, quando potius peccat venialiter, quàm permitteret se occidi. Oritur præterea iste metus sæpè ex dubio finis euentu, aut ex hostium incursu, aut ex notitiæ defectu. Timor verò mundanus oritur ex nimio amore rerum temporalium, & est quandoque mortalis quandoque venialis, eo modo quo de humano dictum est.

Timor seruilis. 1. Io. 4. 3. At de timore seruili, quòd ille non inutilis sit, patet, Primò quia præparat viam charitati, quæ *foras mittit timorem*. 2. Quia rettahit à peccato metu pœnæ, iuxta illud; *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Item Spiritui sancto locum præparat & ipsum

ſicut ſeta filum introducit; manet enim intus filum & ſeta exit. Timor verò initialis eſt incipientium pœnitere; de quo Propheta, *Domine à timore tuo concepimus & peperimus ſpiritum ſalutis.* Habet hic timor duos oculos; vnum ad pænam, qui eſt ei accidentalis; & vnum ad Deum & gloriam, qui eſt ei proprius. At timor filialis eſt quo quis propriè timet peccare, & Deum offendere, qui etiam ſi propter peccatum non ſepararetur à Deo, tamen à peccatato abſtineret, ne Deum offenderet. Et de hoc timore multa Eulogia in ſcriptura habentur, Primò quòd expellat peccatum. 2. Quòd ſapientiam generet. 3. Quòd mentem ſtabiliat. 4. Quòd ſpiritualiter ditet. 5. Quòd bona opera cumulet. 6. Quòd cor delectet. 7. Quòd vitam prolonget. Et 8. Quòd æternaliter remuneret, vt patet ex locis in margine citatis.

Iſai. 26.
Effectus Timoris.
Eccli. 1.
Eccli. 27.
Pſal. 33.
Eccli. 1.
Prou. 19.
Ibid. 15.
Eccli. 1.

Tribulatio.

1. *Tribulationes huius vitæ leues.*
2. *Tribulationes huius vitæ vtiles.*
3. *In tribulatione Deus confortat.*
4. *In tribulatione multa nos conſolantur.*

1. Tribulatio præſentis vitæ leuis iudicatur, Primò propter paruitatem, quia *modicum nunc* vocat Petrus. 2. Propter receſſum; nihil enim eſt ſtabile ſub ſole, & *poſt nubila Phœbus*. 3. Propter breuitatem, quia Apoſtolus vocat *momentaneum tribulationis noſtræ*, quidquid hic pati-

Tribulationes leues.
1. Pet. 1.
2. Cor. 4.

mur. 4. Propter tolerabilitatem; hinc
Matth.10 Christus, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & postea non habent quod agant.* 6.
2. Cor. 4. Tandem vtilitatem, quia *Æterna gloria pondus operabitur.*

Vtilitas tribulationum. 2. Et hæc vtilitas magis apparet, quia tribulationes Primò purgant. 2. Separant affectum à mundo, qui tot aduersitatibus pulsat & fatigat. 3. Accelerat ad cœlestia,
2. Cor. 5. quia excitat desiderium, *dissolui à corpore, & præsentes esse ad Dominum*. 4. Conseruat à corruptione, ne prosperitas corrumpat mentis innocentiam. 5. Conseruat humilitatem in humiliatione tribulati. 6. Flammam excitat charitatis erga Deum, cùm quidquid hic amatur excruciat, & quæsitum, & obtentum, & amissum. 7. Patientiæ virtutem exercet, & illa omnes alias. Tandem Octauò impij corrigũtur timentes sibi iustè infligi quę à Sanctis ad eorum probationem patienter feruntur.

Consolationes Dei. 3. Confortat autem Dominus suos in tribulatione. Primò virtutem sustinendi in eis augendo, quia *dat cum tentatione Deus*
1. Cor. 10. *prouentum*. 2. Eos consolando, vt statim dicetur: nam ipse *consolatur nos in omni tri-*
2. Cor. 1. *bulatione nostra*. 3. Promittit citò liberatio-
Psal. 90. nem: *Eripiam eum & glorificabo eum.* 4. Proponit exempla Sanctorum Martyrum &c. 5. Destinat auxilia Sanctorum Angelo-
4. Reg. 6. rum, noluit ideò timere Helisæus. Tãdem Sextò proponit præmia quæ dulces reddunt labores; merces enim magna nimis.

4. Consolantur autem nos plura in tribulatione. Primò exempla Sanctorum Patrum, sic bona societas viatorem: Quorum tanti, vt nubes, iuxta Apost. 2. Documenta Scripturarum, per quæ *consolationem & patientiam habemus*. 3. Spes promissorum; spes enim in verbo dato Dauidem *consolata est in humilitate* tribulationis. 4. Breuitas & vtilitas tribulationum, quæ diu non durant, propter omnium rerum vicissitudinem. 5. Memoria Dominicæ passionis: nam ipsa nos consolatur, cùm per illam vires habemus, atque nos non sic vsque ad sanguinem restitimus. 6. Consideratio diuinæ pietatis nos adiuuantis; nobiscum enim est in tribulatione stans vt eripiat nos & glorificet. 7. Dulcedo fraternæ exhortationis, nobis compatientis & compassæ. Solatium enim est, socium habere in pœnis. Tandem Octauò spes remissionis culpæ mortalis: vbi enim Deus *auertit captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

Solatium in tribulatione. *Heb. 12.* *Rom. 15.* *Psal. 118.* *Psal. 90.* *Psal. 125.*

Verbum Dei.

1. *Verbum Dei magnam habet vtilitatem.*
2. *Verbum Dei dicitur verbum vitæ.*
3. *Verbum Dei dicitur verbum veritatis.*
4. *Verbum Dei vocatur gladius Spiritus.*
5. *Verbum est lignum vitæ, duodecim fructus preferens.*

6. *Verbum Dei differt à verbo hominum.*
7. *Septem genera hominum abutuntur verbo Dei.*

Verbi Dei vtilitates. 1. VErbum Dei auditum, aure cordis susceptum, & ore ruminatum, opere adimpletum, magnam confert vtilitatem: nam illuminat intellectum; vt ait Psal. 118. Psal. *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* 2. Inflammat affectum, vnde de Ioseph dicitur, Psal. 104. *Eloquium Domini inflammauit eum.* Eccli. 48. Et de Helia, *Surrexit Helias quasi ignis, & verba eius quasi facula ardebant.* Ioan. 15. 3. Mundat à culpa; sic Christus discipulis, *Iam vos mundi estis propter sermonem meum.* 4. Confortat contra tristitiam: Psal. 104. *Misit verbum suum*, inquit Psalm. & *sanauit eos.* Psal. 33. 5. Roborat ad patientiam; *verbo* enim *Domini cæli*, id est iusti *firmati sunt.* 6. Frangit cordis duritiam, quia *est mal-* Hier 23. *leus conterens petras.* Eccl. 12. 7. Stimulat ad patientiam, quia *verba sapientum sunt sicut stimuli, & sicut claui in altum defixi.* Naum. 2. Tandem 8. protegit contra tentationes, quia *omnis sermo Domini clypeus ignitus est.*

Verba vitæ. 2. Verbum Dei dicitur verbum vitæ, primò quia habet quãdam vitam sicut semen, Heb. 4. ideò dicitur ab Apost. *Viuus est sermo Dei & efficax.* 2. Quia indicat vitam fixcut luviam, & ideò lux dicitur, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, Psal. 118. ait Psalm. 3. Quia confert vitam sicut panis, ideò panis

dicitur, *Cibauit eum pane vitæ.* 4. Quia Eccli. 15
ducit ad vitam, sicut riuulus ad fontem,
ideo fonti comparatur: *Fons vitæ verbum
Dei in Excelsis.* Ibid. 1.

2. Sic etiam dicitur verbum veritatis. Verbum veritatis.
Primò, quia procedit ab ipsa summa &
prima Veritate, quæ Deus est. Sic Christus, Ioan. 14.
Ego sum via, veritas, & vita. 2. Quia est
de Veritate prima, id est, de Deo & sacris
eius perfectionibus, & voluntate eius.
3. Quia est in veritate: nam quidquid profert verbum Dei, verum est. 4. Quia est pro
veritate stabilienda & confirmanda: Sic
Saluator, *Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati.* Ioan. 19.

4. Vocatur proinde verbum Dei gladius Gladius spiritus.
spiritus, Primò, quia Spiritus sanctus illud fabricauit: nam *Spiritu sancto inspirati* 2. Pet. 1.
loquuti sunt sancti Dei homines. 2. Quia
spirituales hostes interficit: nam vt dicit
Esaias de Christo, *Spiritu labiorum suorum* Esai. 11.
interficiet impium. 3. Quia spiritum à carne
diuidit; *pertingit enim vsque ad diuisionem* Heb. 4.
animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. 4. Quia interiora spiritus vulnerat & pungit, vnde sagittis acutis comparatur à Psalm. *Sagittæ tuæ acutæ, populi
sub te cadent.* Psal. 44.

5. Verbum Dei lignum vitæ est, conferens duodecim fructus, qui suprà numero Lignum vitæ.
1. & 2. recensiti sunt.

6. Differt autem verbum Dei à verbis hominum. Primò in veritate: Est enim *Deus* Differt à verbis hominũ. Rom. 3.

verax, omnis autem homo mendax. 2. In
Matt. 24. immutabilitate. Vnde Christus, *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Item, *Verbum Domini manet in æternum.* 3. In spiritualitate: nam vt rectè Ioannes Baptista, *Qui de terra est, de terra loquitur, & qui de cælo est, super omnes est.* 4. In virtuositate: nam habet verbum virtutem maximã sanandi, & efficiendi quidquis, nam *ipse dixit & facta sunt.* 5. In suauitate, quia *nunquam sic loquutus est homo.* 6. In vtilitate, vnde Apostoli, *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* 7. Tandem in perfectione: vnde Sapiens, *Multa*, inquit, *dicimus, & deficimus in verbis; consummatio verò sermonum ipse* (Deus) *est.*

Psal. 116. Ioan. 3. Ps. 147. Ioan. 8. Ioan. 6. Ioan. 6. Eccli. 43.

Abusus verbi Dei.

7. Tandem notandum, quod septem genera hominum abutuntur verbo Dei. Nam primò quidam ignorant voluntariè propter clausionem oculi ac auris interioris, de quibus Hieremias, *Verbum* enim *Domini proiecerunt, & sapientia nulla in eis est.* Tales sunt de quibus Iob, *Recede*, inquiunt, *à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* 2. Quidam adulterant admiscendo vera falsis, & hi sunt pseudo-Apostoli & hæretici. De quibus Apost. *Non sumus sicut plures adulterantes verbum Dei.* 3. Quidam impugnant, propter opinionum suarũ defensionẽ, vt Tyrannni & infideles omnes, quibus iuxta Proph. *Verbum Dei est in opprobrium, & non suscipient illud.* 4. Quidam

Hier. 8. Iob. 22. 2. Cor. 2. Hier. 6.

suffocant extinguendo fructus illius. Sicut spinæ semen bonum, & hi sunt cupidi & mundani omnes, quorum curis & sollicitudine verbum Dei extinguitur. 5. Quidam repellunt, quia audiūt sua vitia tangi. Sicut infirmus repellit medicum vulnera secantem. Et hi sunt omnium ingratissimi, à quibus *auferetur regnum Dei, & dabitur gentis facienti fructum eius.* 6. Quidam fugiunt propter malæ voluntatis obstinationem: De quibus dicitur, *Dura ceruice & incircumcisis auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.* Tandem 7. Quidam negligunt propter alias occupationes, & delectationes rerum secularium. Et sunt mundani omnino immersi secularibus, qui dicunt, *Comedamus, & bibamus; cras enim moriemur.* Matt. 21. Act. 7. Esai. 22.

Veritas.

1. *Multiplex veritas, quam debemus amare, quam mali contemnunt.*
2. *Veritas opponitur quadruplici falsitati.*
3. *Veritatem excitare debemus & facere.*

1. MVltiplex est veritas ratione obiectorum, circa quæ versatur. Prima est scripturæ, quæ à Daniele vocatur *scriptura veritatis*. 2. Conscientiæ, nam illa est quæ veritatē Christi suscipit. 3. Loquelæ, Veritas varia. Dan. 10. 2. Cor. 11.

Pro. 12. & hæc *firmat labium veritatis in perpetuum*.
4. Veritas vitæ, per quam quisque in veritate boni operis & non in specie ambulat, vt hypocritæ. 5. Doctrinæ, quam
Mat. 21. Christus in veritate docuit. 6. Iustitię quã in veritate Christus eduxit, eam faciens & faciendam docens. 7. Tandem est veritas remunerans, & est gloriæ, ad quam obtinendam veritas liberabit nos ab omni miseria. Sed eheu! primam Veritatem peruertunt hæretici, qui prosternunt veritatem in terra. 2. Quæ est conscientiæ, perimitur ab Hypocritis. 3. Quæ est loquelæ, odio habetur à stultis. 4. Quæ est vitæ, despicitur à mundanis, quorum est fictio & fucus. 5. Quæ doctrinæ, impugnatur ab æmulis. 6. Quæ est Iustitiæ, captiuatur ab iniquis, *qui veritatem Dei in iniustitia detinent*.
Rom. 1. 7. Quæ est gloriæ, pro vili pretio datur à reprobis.

Veritati opposita. 2. Veritati opponitur quadruplex vitium. Primò falsitas, & qui *errantes ab vtero* veritatis *loquuntur falsa*. 2. Duplicitas: nam
Psal. 57.
Eccle. 6. per hanc probatur quis verus peccator. 3. Dolositas; nihil enim peius linguâ dolosâ, vt testatur Dauid. 4. Simulatio; de qua dicitur *Simulator ore decipiet amicum suum*.
Psal. 119.
Prou. 11.

Veritatẽ facere. 3. Veritatem autem, quam non sufficit scire, vel audire aut proponere, docere aut simulare, sed oportet facere, exercitare debemus credendo, veritati obediendo.
Zach. 8. 2. Diligendo, vnde Propheta, *Pacem & veritatem diligite*. 3. Meditando & loquendo

do veritatem cum proximo. 4. Faciendo: nam *qui facit veritatem, venit ad lucem.* 5. Defendendo, testimonium de ea perhibendo. Et tandem eam precibus & affectu emendo. *Eph. 4.* *Prou. 12.*

Vestis. *Vide*, Virtus.

Vestium pretiositas & ornatus, vitiosus & reprehensibilis, maximè in fæminis.

IN vestibus reprehenditur luxus immoderatio, quæ consistit, Primò in pretiositate: ideo diues epulo reprehenditur, *quod indueretur purpura & bysso.* 2. In suauitate, vnde Christus, *Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* 3. In curiositate: hinc Proph. *Visitabo super omnes, qui vtuntur veste peregrina.* 4. In speciositate, ideo Apostolus, *Non in auro aut margaritis.* Luxus enim & ornatus speciosus, in vestibus, maximè in fæminis, 1. Extollit illas in superbiam, vt *eant erecto collo & nutibus oculorum.* 2. Prouocat aspicientium concupiscentiam, quare monet Sapiens, *auertere faciem à muliere compta.* 3. Tollit orationis efficaciam: ideo vult Apost. vt mulieres sint *in habitu ornato & verecundia.* 4. Generat infamiam, vt dicitur de illa, quæ occurrit lasciuo iuueni, *in habitu meretricio.*

Vestium abusus. *Luc. 16.* *Matt. 11* *Soph. 1.* *1. Tim. 2.* *Esaia. 3.* *Eccli. 9.* *1. Tim. 2.* *Prou. 7.*

Via. *Vide*, Ambulare.

Vidua.

Vera vidua quomodo se habere debet.

Viduæ qualitates. VIdua vt vera sit debet esse ab hominibus abstracta & clausa: Sic Iudith,
Iudith. 8. *Quæ in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum*. 2. Orationibus assidua:
Luc. 2. sic *Anna non discedebat de Templo, sed orationibus & ieiuniis seruiens die ac nocte*. 3. Ieiuniis assueta: nam Iudith *omnibus diebus vitæ suæ ieiunabat præter Sabbata*, &c. 4. Operibus misericordiæ intenta: hinc bonum testimonium requirit Apost. videlicet,
1. Tim. 5. *Si pauperes hospitio suscepit, si Sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus ministrauit*. 5. Vestibus inculta: ne vestes viduitati contrarias gerens, incontinentiæ notam subeat. 6. In proposito continentiæ fixa: hinc Apost.
1. Cor. 8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut ego*. 7. Mundi solatio destituta:
1. Tim. 5. Ideo Apost. *Quæ verè vidua est, & desolata, speret in Deum*.

Vigilia, Vigilare.

Ad multa nobis vigilandum est.

Vigilandũ quare. VIgilandum nobis esse patet, quia vita mortalium vigilia est & militia, quæ

maximè vigilantes requirit. Et quidem vigilandum est; Primò vt insidias Diaboli caueamus. Hinc D. Petrus, *Fratres sobrij estote*, quia temulentos somnus obruit, *& vigilate, quia aduersarius vester Diabolus*, &c. 2. Vt mala mundi euitemus: ideo Christus, *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*. 3 Vt vitam à malis corrigamus sic Dominus, *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant*. 4. vt imperfecta bona sua perficiamus: ideò sapiens, *Vigilia sua ornabit imperfectionem*. 5. Vt Deum dignè deprecari valeamus: sic *Iustus cor suum tradet*, inquit sapiens, *ad vigilandum diluculò*. 6. Vt sapientiam discamus; *qui enim manè vigilauerint ad me, inuenient me*, dicit diuina Sapientia. 7. Vt Aduentum Domini præuideamus: sic vigilat seruus expectans Dominum suum, *Beati enim illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes*. Tandem octauò, vt benedictionem æternam à Deo accipiamus: sic qui vigilauerint, inquit sapiens; *accipiens benedictionem à Deo*.

1. Pet. 5. *Mat. 26.* *Apoc. 3.* *Eccli. 31.* *Eccli. 39.* *Prou. 8.* *Luc. 12.* *Eccli. 31.*

Vincula.

Quatuor vincula habet dæmon quibus ligatur peccator, & quatuor habet Deus quibus trahit iustos.

Vincula habet dæmon, quibus in peccatis vinctum detinet peccatorem. Pri- Vincula Diaboli.

mum est præsentis miseriæ, quo multos ex desperatione ad peccata trahit & ligat: Sic Manasses, *Et nunc Domine ligatus multo vinculo ferri, flecto genua cordis mei.* 2. Vinculum culpæ, quo ligat peccatorem, vt de peccato in peccatum ruat. 3. Est malæ & obstinatæ in malis voluntatis, de qua Augustinus, *Ligatus eram non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, inde catenam mihi fecerat inimicus, & velle meum tenebat.* 4. Vinculum gehennæ: De quo Daniel, *Alligetur vinculo ferreo & æreo in æternum.* Habet autem Deus quatuor vincula. Primum est pænitentiæ, à quo soluitur peccator per gratiam Sacramenti, ideo dicit Sacerdos, *Absoluo te.* 2. Obedientiæ, quo tenetur in vinculis claustri vir Religiosus. 3 Est vinculum sapientiæ, *cuius est alligatura salutis.* 4. Gratiæ, de quo Propheta, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

In Orat. *Lib. Confess.* *Dan. 4.* *Eccli. 6.* *Osea. 1.*

Vinum.

Vini potus nimius multa mala facit.

Vini mala.

Moderatus vini potus, sicut confert sanitati corporis & spiritus, ac ingenij acumini, sic nimius eius vsus, non solùm corporis sanitatem distemperat, sed animo multùm nocet: nam primò accendit iram, vt ostendit Sapiens, *vinum multum potatum irritationem, iram & ruinas*

Eccli. 31.

magnas facit. 2. Prouocat rixam, sic Salomon, *Cui væ? cui rixa? nonne his qui student calicibus epotandis?* 3. Inflammat luxuriam: hinc idem, *Luxuriosa res est vinum.* 4. Obruit intelligentiam: nam vt animum transferret sapiens ad intelligentiam, *Proposuit à vino abstinere carnem suam.* 5. Offuscat memoriam: nam cùm *surgunt ab ebrietatis somno, animo non meminerunt, quæ gesserunt.* 6. Grauat naturam: *Quæ est enim illa vita, quæ minuitur vino, nisi vita ebriosorum?* 7. Reuelat ignominiam, vt patet in Noe, *qui nudatus iacuit in tabernaculo.* 8. Perdit substantiam, quia *operarius ebriosus non locupletabitur.* Tandem inducit Apostasiam; *Vinum enim & mulieres faciunt apostatare sapientes.*

Prou. 23. Idem. 20. Eccli. 31. 3. Esd. 3. Eccli. 31. Gen. 9. Eccli. 9. Ibid.

Virtus.

1. *Virtutum vestis quære induenda.*
2. *Virtutes variæ variis necessaria.*

1. Virtute vestiendi sumus; Primò, quia vestis virtutum protegit aduersus insidias Diaboli. 2. Quia calefacit: nam virtute vestitus *non timebit domui suæ à frigore niuis.* 3. Quia operiens est, ideo beatus dicitur, qui custodit hanc vestem, *ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* 4. Quia ornat, vt possit intrare ad nuptias, *nec carebit veste nuptiali.*

Virtutum vestes. Prou. 31. Gen. 9. Math. 22.

2. Virtutes sunt plures, & singulis singulæ necessariæ; præsidentibus enim præci-

Virtutes variæ.

puè necessaria est virtus discretæ directionis vt corrigant: Prędicantibus autem virtus discretionis, vt competenter verbum Dei proponant: Pugnantibus virtus fortitudinis vt vincant: Pœnitentibus virtus constantiæ ne recidiuent: Proficientibus virtus animositatis vt proficiant. Tandem laborātibus virtus charitatis, ne deficiant, sed per perseuerantiam ad gloriam perueniant.

Virginitas, Virgines.

1. *Virginitas magnum bonum est.*
2. *Virginibus necessaria & bona est continentia.*

Virginitatis bonum. 1. BOnum ingens est virginitatis donū. Nam carnis munditiam seruat ne coinquinetur carnalitate. 2. Animam de-
Apoc. 14. corat & ornat, quia *casta generatio* dicitur
Sap. 4. *pulchra cùm claritate.* 3. Quia Angelis assimilat, vt testatur expressè Christus. 4.
Matt. 22. Quia Christo desponsat: sic Apostolus testatur, *Despondi vos vni viro Virginem ca-*
2. Cor. 11. *stam.* 5. Deo iungit & approximat: *Incorruptio* enim *carnis proximum facit Deo.* 6.
Cap. 6. Quia cæteris statibus præponderat: nam
Eccli. 26. *continentis animæ non est ponderatio.* 7. Odorem bonæ famæ spirat, quia sicut lilium inter spinas redolet, sic virgo inter
Cant. 2. filias. Tandem octauò ad nuptias æternas
Mat. 25. inuitat: nam virgines paratæ intrauerunt cum sponso Christo ad nuptias.

1. Virginibus bonum est, si in continentia maneant primò propter maiorem puritatem. 2. Propter maiorem libertatem; *Mulier enim matrimonio iuncta alligata est viro*. 3. Propter maiorem pacem: nam *quæ nupserint, tribulationem carnis habebunt*. 4. Propter maiorem sanctitatem: nam *virgo cogitat quæ Domini sunt*. 5. Propter maiorem vtilitatem: nam ipsæ offerunt Deo fructum centesimum, coniugatæ vicesimum, viduæ autem tantum sexagesimum. 6. Propter maiorem cum Christo conformitatem: *Sequuntur* enim *agnum quocunq; ierit*. Continentiæ bonum, 1. Cor. 7. Apoc. 14.

Vocatio.

1. *Vocat nos Deus ad multa.*
2. *Deus vocat peccatores multipliciter.*
3. *Vox Dei nos vocantis est multiplex.*

1. VOcatio Dei est diuersa secundùm plura ad quæ nos vocat: nam primò vocat omnes ad fidei cognitionem: Et hoc est, *vocare de tenebris in admirabile lumen suum*. 2. Vocat peccatores ad pœnitentiam & conuersionem: nam *non venit vocare iustos, sed peccatores ad pænitentiam*. 3. Omnes ad sanctam conuersationem: *non enim vocauit nos in immunditiam*, vitæ sc. *sed ad sanctificationem*. 4. Aliquos ad perfectionem Religionis; sic Esaias, *Qui vocauit ab Oriente iustum, vt sequeretur se*. Quintò paucos ad prælationis officium: Vocatio nes multæ 1. Pet. 2. Matt. 9. 1. Teß. 4. Esai. 41.

sic vocatus est Andreas & Petrus. 6. Vo-
Mat. 4 cat prælatos ad donorum distributionem:
Luc 16 Sic *vocauit seruos suos, & dedit illis talenta.*
7. Vocabit omnes ad reddendam ratio-
Mat. 21. nem: *Redde rationem villicationis tuæ.* T an-
tem octauò omnes iustos ad æternam re-
munerationem: Sic vocauit *operarios, vt
redderet illis mercedem.*

Vocatio peccatorum. 2. Peccatores autem vocat Deus multi-
pliciter. Primò per internam inspirationē.
Prou. 9. 2. Per prædicationem: nam *misit ancillas,*
id est, animas sapientes, *vt ducerent ad ar-
Ibid. 1. cem.* 3. Per beneficia: *Extendi manus meas,*
&c. 4 Per flagella: Sic vocatus fuit Rex
Manasses. 5. Per Angelorum suggestiones,
Iud. 1. vt patet per *Angelum qui venit ad locum
flentium.* 6. Per pulchritudinem & deco-
rem creaturarum. 7. Per testimonia scri-
Act 13. pturarum: *Quæ per omne Sabbatum propo-
nuntur in Ecclesia Dei.* Octauo Tandem vo-
Mat. 11. cat per seipsum: *Venite ad me omnes, qui
laboratis,* &c.

Vox Dei qualis. 3. Vox Dei vocantis nos, Est primò au-
thoritas scripturarum, quasi per litteras
vocans. 2. Species creaturarum, quasi per
Psal. 18. nutum. *Cœli enim enarrant gloriam Dei* 3.
Sermo Doctorum. 4. Inspiratio cogitatio-
num. 5. Collatio beneficiorum. 6. Missio
flagellorum. Tandem 7. Dispositio Ange-
lorum, qui reuelant voluntatem Dei.

Volun-

Voluntas Dei.

1. *Voluntas Dei qualis sit in se, & ad merita nostra.*
2. *Voluntatis diuinæ quæ & quot signa.*

1. VVluntas Dei in se semper est recta & efficax: vnde quia recta, nullus est rectus nisi conformetur ei. Est enim summa regula omnium voluntatum, tam angelorum ac hominum: nihil enim est quod resistere potest eius voluntati. Est 2. efficax, quia sine ipsa nihil potest effici nec contra illam fieri, & per nullum impediri. Item est irreprehensibilis, & quia talis, nihil præcipit aut permittit nisi iustè. Hinc Daniel, *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti*, & nihil agit aut consulit nisi bene. In respectu autem ad merita nostra, Semper vult remunerare bona opera nostra, & vult omnes homines saluos fieri, nec *vult interitum peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.*

Voluntas Dei qualis.

Dan. 4.

Ezech. 18.

2. Signa ex quibus nobis innotescat voluntas diuini beneplaciti sunt quinque, videlicet Præceptum, Prohibitio, Consilium, Permissio & Operatio. Nam voluntas diuina vel est præsentium aut futurorũ; si præsentium, vel est ad bonum, & sic est operatio: vel ad malum, & sic est permissio: si futurorum sit, vel est ad malum, & sic est

Eius signa.

prohibitio; aut ad bonum necessarium, & sic est præceptio; aut ad bonum supererogationis, & sic est cōsilium. Præceptum dicit obligationem ad faciendum bonum; prohibitio notat obligationem ad euitandum malum. Consilium docet, si bonum faciamus, habebimus præmium; si malum, supplicium. Permissio dicit priuationem cohibendi & impediendi malum, & est signum diuinæ voluntatis non respectu mali, sed b boni, quod inde elicit Deus. Operatio notat effectum in re, quæ reuera fit.

Voluntas hominis.

1. *Voluntas omnibus alijs potentiis animæ dominatur.*
2. *Voluntas nostra libera est, & non cogitur nisi à Deo.*
3. *Voluntas nostra conformare se debet diuinæ voluntati, & quomodo.*
4. *Quantum malum propria voluntas.*

Voluntatis imperium.

1. VOluntas inter cæteras animæ potentias præcipua est, cùm sit generalis mater omnium virium animæ. Cùm enim intellectus aliquid apprehendit vt bonum, voluntas imperat viribus affixis ipsis organis, id est, instrumentis: vt visui ad videndum, auditui ad audiendum, & sic de alijs. Sic in motu locali, voluntas imperat virtuti animali, quæ est in neruis

& musculis, & ita mouet ad ambulandum, standum, vel currendum, &c. in instrumentis nutritiuæ vt stomacho, & generatiuæ, vt genitalibus, nullum habet imperium, sed naturaliter operantur.

2. Voluntas etiam à bono, sicut intellectus à vero, nullo modo cogitur, quia verum potest dari nulla falsitate admixtum, cui intellectus dissentire nequit; non datur autem tale perfectum bonum in hac vita, aut in rebus creatis, quin habeat aliquid imperfectionis admixtum; quare voluntas libertate sua illud respuere potest. Inclinatur igitur & allicitur voluntas sæpè per inordinatum appetitum, sed nullo modo cogitur, nisi à solo Deo. Quia cùm diabolus potestatem habeat, in nobis immutandi sensum & fantasiam, Angelus verò possit hoc, & etiam intellectum mutandi; solus tamen Deus habet potestatem & prædicta faciendi, & efficaciter mouendi voluntatem, & immutandi. Quia ipse preuenit nos vt velimus, & consequitur ne frustrà velimus. Eius libertas.

3. Voluntas nostra conformanda est Dei voluntati, vt velit omnia quæ Deus vult, & sicut vult nos velle, ita præcepta, consilia, prohibitionem, comminationes, & promissiones, vt talia, velle debemus. In ijs verò quæ nescimus, debemus semper parato animo esse volendi quod Deus vult de illis velle. At quando aliquid eorum est in actu exercito, tunc Subijcieda Deo.

oportet illud secundùm rectam rationem, & communia præcepta diuina & humanarum legum velle, etsi Deus fortè aliter velit. In plagis verò & tribulationibus, etsi appetitus naturalis eas nolit, tamen rationis voluntas debet eas velle, vt vult ea Deus, scilicet ad correctionem nostram & decorem diuinæ iustitiæ, & probationem nostræ patientiæ, aliosque fines bonos, quos sacra Scriptura docet, scilicet vt pœnitentiam agamus, & peccantes emendentur. Interim non omittendum est petere liberationem, auxilium, & defensionem, quia Deus vult hoc nos facere, & velle: sic in periculis mortis, aut nostræ, aut parentum & dilectorum, debemus orare pro illorum salute, quandiu in istis nescimus Dei voluntatem, ita tamen vt semper dicamus, *non nostra, sed tua voluntas fiat.* Postquam autem mors sequuta fuit, non licet aliter velle quàm Deus ordinauit, & omnis inordinatus luctus reprimendus.

Petenda a Deo.

Luc. 22.

Voluntatis propriæ malum.

4. Ex dictis patet quantum sit malum propria voluntas. Propria verò voluntas ea est, quæ non est communis & conformis cum Dei voluntate & cum hominum iusta voluntate, sed sua ipsius, quando scilicet, id quod vult, non ad honorem Dei, aut ad proximi ædificationẽ, aut vt placeat Deo, & prosit proximo, vult: sed tantùm curat satisfacere suis desiderijs, & animi cupiditati, & in se vt in finem omnia refert. Quàm hæc sit voluntas perniciosa, patet

primò; Quia vt dicit Bernardus, ignem inferni nutrit. 2. Deo rebellat, imò impugnat, seipsam subtrahens dominatui, & negando debitum obsequium, sibi ipsi tantùm obediens & obsequens. 3. Omnia quæ Dei sunt sibi arrogat; nam si posset totum mundum vsurparet & omnem gloriam & honorem, nec deest voluntas, si adesset facultas. 4. Quantum in se est Deum perimit; nam ipsa vellet quòd Deus nollet vindicare peccata, & sic esset iniustus. 2. nesciret peccata, & sic esset insipiens. 3. non posset vindicare, & sic Deus esset impotens. Quare vellet Deum esse iniustum, insipientem & impotentem, & sic optat perimere Iustitiam, sapientiam & potentiam Dei, quę omnia essentialiter ipse Deus est. Igitur caueamus à propria voluntate. *Serm. 3. de resur.*

FINIS.

Ad maiorem laudem & gloriam Dei omnipotentis, Patris, Iesu Christi Filij eius, & Spiritus sancti, B. Mariæ semper Virginis, B. patris nostri diui Dominici, B. Thomæ Aquinatis, omnium Theologorum principis, & omnium Sanctorum.

INDEX,

RERVM MEMORABILIVM quæ ſparſim in hoc opuſculo continentur.

A

INDEX.

B

D

G

H

I

L

M

N

O

E

F

H

I

L

M

Mise-

N

O

T

V

FINIS.

OSTENSOR

OSTENSOR SIVE INDEX CONCEPTVVM

ad singula Euangelia per annum sanctè & expeditè explicanda. Numerus significat Paragraphum tituli: vbi verò numerus deest, citatur titulus per totum.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Textus Lucæ 21.

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

Arundinem vento agitatam. 2. Sancti hominibus non placent vento adulationis. *Sancti.* 14.

Ecce, Ego mitto Angelum meum. 3. Sanctus Ioannes dicitur Angelus & quare.
Sacerdos. 2.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

Textus Ioan. 1.

Tu quis es? 1. Hæc interrogatio Quis, quid importet. *Quis.*

Quis ergo es, vt responsum, &c. 2. De liuore & æmulatione Pharisæorum. *Æmulatio. Inuidia.*

Non sum ego Christus. 3. De virtute humilitatis, quæ nõ præsumit virtutem quam non habet.
Humilitas.

Ego baptizo in aqua. 4. Quæ differentia inter baptismum Ioannis & Christi.
Baptisma.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

Textus Luc. 3.

Anno quintodecimo procurãte, &c. 1. Occasione diuisionis Iudææ de plagis & ira Dei.
Plaga.

Prædicans baptismum pænitentiæ. 2. Prędicatio pœnitentię quàm necessaria. *Peccator.* 6. 8. 9. 14. *Pœnitentia.*

Parate viam Domini. 3. Quomodo semper parati esse debemus in animi præparatione.

ratione. *Præparatio.*
Ambulare 2.

DOMINICA INFRA 8. NATIVIT.

Textus Luc. 2.

Ecce hic positus est in ruinam.	1.	Christus confessione Simeonis ostensus est filius Dei. *Christus* 1. 2.
Tuam ipsius animam gladius doloris, &c.	2.	Quomodo doloris gladius in hac vita & omnium iustorum & B. Virginis cor pertransijt. *Gladius, Sancti* 12.
Et hac vidua erat.	3.	Viduæ quales esse debeant. *Vidua.*
Orationibus seruiens die ac nocte.	4.	De orationis perseuerantia. *Oratio.*

DOMINICA INFRA 8. EPIPH.

Text. Luc. 2.

Ascendentibus parentibus.	1.	Ecclesia diebus festis frequentanda, quia est locus venerandus. *Ecclesia* 4.
Inuenerunt eum in medio Doctorum.	2.	Christus semper est in medio Ecclesiæ. *Christus* 13.
Nesciebatis quod in his quæ patris mei.	3.	Pater Christi est Deus. *Deus* 4. 19. 16.
Quærebant inter cognatos & notos.	4.	Quomodo Christus quærendus. *Quærendus Deus.*

DOMINICA 2. POST EPIPH.

Textus Ioan. 2.

Nuptiæ factæ, &c. & erat ibi mater Iesu. 1. Quàm sit commendabilis status matrimonij.
Matrimonium 1.

Vocatus est autem Iesus & discipuli eius. 2. Quæ causæ instituendi matrimonij.

3. Quomodo coniuges ad se mutuò se habere debeant.
Matrimonium 1. 2. 3. 4.

DOMINICA 3. POST EPIPH.

Text. Matth. 8.

Descendens Iesus de monte. 1. In monte perfectionem docuit Christus, vt eam in ascensu ad gloriam necessariam esse doceat.
Perfectio, Regnum Dei.

Domine, si vis potes me mundare. 2. Peccator per leprosum designatur & clamare debet ad Christum, quia peccatum causat sex.
Peccatum 13.

Volo, mundare. 3. Quanta Dei bonitas erga peccatorem.
Deus 9. 13.

DOMINICA QVARTA POST EPIPH.

Textus Matth. 8.

Et ecce motus ma- 1. Ex motu in mari facto, colli-

gnus factus est in mari. gitur periculosus mundus, & difficile in eo bene viuere. *Mundus* 1. 2.

Ipse verò dormiebat. 2. Deus ad modum dormientis Sánctos tribulari permittit. *Sancti* 12.

Domine salua nos. 3. Discipuli clamant ex timore humano, Domine salua nos, & quis ille timor. *Timor.* 12.

Et surgens imperauit ventis & mari. 4. Quomodo Deus in tribulationibus suos confortet, imperans vento tentationum. *Tribulatio, fluctus.*

DOMINICA QVINTA POST EPIPH.

Textus Matth 13. *Qui seminauit bonum semen.* 1. Deus est Dominus omnium per creationem, quæ bona seminatio est,& quid creare. *Deus* 2. 3.

Inimicus superseminauit zizania. 2. Diabolus seminans malum semen peccati multos seducit. *Diabolus.*

Inimicus homo hoc fecit. 3. Hæretici seminatores mali seminis vitandi. *Hæretici.*

DOMINICA SEXTA POST EPIPH.

Text. Matth. 13.

Simile est regnum cœlorum grano Synapis. 1. Doctrina Apostolica fuit confirmata multipliciter. *Doctrina* 3.

Quod maius fit omnibus oleribus.	2. Sicut granum synapis crescens maius fit omnibus oleribus: sic doctrina Euangelica excellit alias scientias. *Scientia* 1. *Euangelium.*
Donec fermentatum est totum.	3. Fermentum per quod fides intelligitur, totum mundum feruere fecit fide in Deum. *Fides* 5.

DOMINICA SEPTIMA.

Text. Matth. 20.

Exijt primo mane conducere.	1. Conducit Deus operarios bonos, & qui illi. *Bona opera* 1.
Iterum exijt.	2. Vocat operarios ad virtutem & bona opera. *Virtus.*
Redde illis mercedem.	3. Bene operantes ad denarium gloriæ admittuntur. *Cælum* 5.
Pauci electi.	4. Sanctorum electio est quadruplex. *Sancti* 7.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Text. Luc 8.

Exijt qui seminat seminare.	1. De fructu multiplici verbi Dei. *Verbum Dei* 1. 5.
Aliud cecidit secus viam.	2. Septem genera hominum abutuntur verbo Dei, Ibid. 7.

Aliud cecidit inter spinas. 3. Diuitiarum spinæ suffocant verbum Dei.
Diues.

Fecit fructum centuplum. 4. De fructu seminis boni Eleemosynæ.
Eleemosyna 2.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Textus Luc. 18.

1. Christus quomodo traditus fuit, & à quibus.
Christus 20.

Occident eum. 2. Mors Christi fuit conuenientissimus modus remedij nostri.
Ibid. 21.

Ecce ascendimus Hierosolymam. 3. Christi vita exemplar Christianorum, *Ibid.* 16.

Cæcus quidam sedebat iuxta viam. 4. Cæcitas mentis vnde oritur;
Excæcare 1.

DOMINICA PRIMA QVADRAG.

Text. Matth. 4.

Vt tentaretur à diabolo. 1. Diabolus vt princeps potestatis aëris maximè timendus. *Diabolus.*

Dic vt lapides isti panes fiant. 2. Tentatio multiplex, & à quibus ducimur in tentationem.
Tentatio.

Non in solo pane viuit homo. 3. Abstinentia tum à peccatis tum à cibo maximè necessaria. *Abstinentia* 1. 2.

Ostendit illi omnia 4. Gloria mundi quàm vana,

DOMINICA SECVNDA QVADRAG.

Text. Matth. 17.

Tansfiguratus est ante eos.	1. Gloria cœlestis dicitur omne bonum. *Cælum* 4. *Gloria.*
Resplenduit facies eius sicut sol.	2. Ad gloriam ostensam in transfiguratione festinādum. *Ibid.* 2
Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum & Ioannem.	3. Ad gloriam consequendam quid requiratur. *Ibid.* 5.

DOMINICA TERTIA QVADRAG.

Text. Luc. 11.

Et illud erat mutum.	1. Non oportet esse mutum in confessione. *Confessio* 1. 2.
Cum fortis armatus custodit.	2. Ad bellum contra dæmonem multa mouent. *Militia* 3.
Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt.	3. Verbum Dei est gladius spiritus, quo hostis conficitur. *Verbum Dei* 4.

DOMINICA QVARTA QVADRAG.

Textus Ioan. 6.

Vnde ememus panes vt manducent hi?	1. Panis quo reficiuntur animæ, multiplex. *Panis, Eucharistia.*
Subijt ergo in	2. Mundus relinquendus in

montem Iesus.		sequela Christi. *Mundus* 3.
Videns quòd multitudo magna venit ad eum.	3.	In spiritu ambulandum cum Christo per sex vias. *Ambulare* 2.

DOMINICA IN PASSIONE.

Text. Ioan. 8.

Nonne benè dicimus quia Samaritanus es, &c.	1.	De inuidiæ grauissimo peccato. *Inuidia.*
Qui ex Deo est verba Dei audit.	2.	Probare an ex Deo quis sit, quomodo fiat. *Probatio.*
Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.	3.	Veritati debemus credere, eam in nobis exercitando. *Veritas* 3.
Tulerunt ergo lapides.	4.	De homicidio, & quomodo committatur. *Homicidium.*

DOMINICA PALMARVM.

Text. Matth. 21.

Ite in Castellum quod contra vos est.	1.	Omnia quæ pro nobis passus est Saluator cogunt nos ipsum amare. *Amor* 5.
Alij sternebant vestimenta in via.	2.	Charitas Christi in passione ostensa quomodo vrgeat nos. *Ibid.* 6.
Benedictus qui venit in nomine Domini.	3.	Christi imaginem quomodo portare debemus. *Christus* 18.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

Text. Marc. 16.

Surrexit, non est hic. — 1. Christus resurgendo mortem destruxit, & regnum mortis euertit. *Christus* 28.

Expurgate vetus fermentum. — 2. Homo vetus per spiritualem resurrectionem exuendus. *Homo.* 6.

Vt in nouitate vita ambulemus. — 3. Nouitas vitæ per multa fit. *Nouitas.*

DOMINICA IN ALBIS.

Text. Ioan. 20.

Stetit Iesus in medio discipulorum. — 1. Quomodo in Sanctorũ collectione Iesus stat in medio *Christus* 13.

Thomas qui dicitur Didymus non erat cum eis. — 2. Sanctorum congregatio quare nunquam deserenda. *Sancti* 15.

Noli esse incredulus, sed fidelis. — 3. Ad fidem explicitam multa mouent & qualiter diuersi circa fidem se habent. *Fides* 6. 7.

Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. — 4. Christus instituit Confessionem Sacramentalem. *Confessio* 2.

DOMINICA 2. POST PASCHA.

Text. Ioan. 10.

Bonus pastor animam suam ponit. — 1. Prælati & superiores honorandi.

Pro ouibus suis.	2. Prælati quid debeant subditis, & subditi Prælatis. *Prælatus* 1. 2. 3.
Ego cognosco oues meas,	3. Oues Christi meritò vocantur iusti. *Oues.*

DOMINICA 3. POST PASCHA.

Text. Ioan. 16.

Plorabitis & flebitis vos.	1. Sancti gemunt & plorant in hoc mundo octo rationibus, & cur eos tribulatione affici permittat Deus. *Sancti* 11. & 12.
Mundus autem gaudebit.	2. Gaudium mundi & mundanorum quale. *Gaudium* 2.
Nunc tristitiam habetis.	3. Fletus & lachrymæ habent diuersam causam. *Lacryma.*

DOMINICA 4. POST PASCHA.

Text. Ioan. 16.

Tristitia impleuit cor vestrum.	1. Iusti tristantur multis de causis. *Sancti* 10.
Mittam eum ad vos.	2. Iusti accipiunt septemplicem spiritũ à Christo promissum. *Ibid.* 8.
Cum autem venerit spiritus veritatis.	3. In tribulatione Deus confortat. *Tribulatio* 3.

DOMINICA ROGATIONVM.

Text. Ioan. 16.

Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.	1. Orationis quanta vis. 2. Oratio quomodo rectè fiat. 3. Qui facilè exaudiantur. *Oratio* 1. 2. 3.

DOMINICA INFRA 8. ASCENS.

Text. Ioan. 15.

Quem ego mittam vobis à Patre.	1. Apostoli acceperunt spiritum veritatis. *Apostoli* 3.
Omnis qui interficit vos, arbitratur se obsequium præstare Deo.	2. Iusti non timent persequutionem, sed optant. *Mors* 2.
Sed hæc facient quia non nouerunt Patrem neque me.	3. Prædicatione Apostolica & verbo Dei abutuntur septem genera hominum. *Verbum Dei* 7.

DOMINICA PENTECOSTES.

Text. Ioan. 14.

Ad eum veniemus.	1. Præsentia Spiritus sancti ex effectibus spiritus vitalis agnoscitur. *Spiritus sanctus* 1.
Ille vobis suggeret omnia.	2. Spiritus sancti qui effectus. *Ibid.* 2.
Qui diligit me, sermones meos seruat.	3. Diligendus Deus, quia omnia astringuunt. *Amor* 4. 5.
Pacem meam do vobis.	4. Pacē nostrā, quam mundus dare nō potest, dat Christus. *Pax* 3.

DOMINICA TRINITATIS.

Text. Matth. 28.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.	1. Nomen *Deus* dicitur de pluribus, sed diuersimodè.
	2. Deus est Dominus omnium per creationem.
	3. Deus multis modis cognoscitur. *Deus* 1. 2. 3.
	4. Quomodo Deo seruiendum. *Ibidem* 19.
	5. Deus debet à nobis laudari, & magnificari ex quinque. *Laudare Deum.*

DOMINICA 2. POST PENT.

Text. Luc. 14.

Fecit cœnam magnam.	1. Multiplex cœna inuenitur in Scriptura. *Cœna* 1.
Et vocauit multos.	2. Vocat nos Deus ad multa. *Vocatio* 1.
Et misit seruos suos.	3. In prædicatore quæ requiruntur. *Propheta* 2.
Dicere inuitatis vt venirent.	4. Deliciæ cœlestes quomodo acquirendæ. *Deliciæ, Cœlum, Beatitudo.*

DOMINICA 3. POST PENT.

Text. Luc. 15.

Erant appropinquantes ad Iesum Publicani, &c.	1. Diuina misericordia nullum respuit peccatorem, & vult omnes saluos fieri. *Deus.*

Quare cum peccatoribus manducat magister vester? — 2. Quomodo Deus in multa misericordia sustinet in prę-senti peccatores. *Peccator 6.*

Gaudium est in cælo. — 3. Pœnitentia agenda, & peccatori in peccato non permanendum. *Ibid. 14.*

DOMINICA 4. POST PENT.

Text. Luc. 5.

Cum turba irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei. — 1. Verbum Dei auidè audiendum, quia habet magnam vtilitatem. *Verbum Dei.*

Ascendit autem in vnam nauim, quæ erat Simonis. — 2. Nauem Ecclesiæ ascendit Christus, quia est subiecta Christo & Simoni. *Ecclesia 5.*

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. — 3. Peccata dicuntur opera tenebrarum & noctis. *Peccatum 16.*

4. Bona opera facta in mortali ad quid valeāt. *Opera bona 4.*

DOMINICA 5. POST PENT.

Text. Matth. 5.

Non occides. — 1. Quot modis committatur homicidium. *Homicidium.*

Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit. — 2. Ira quantùm noceat, & qui gradus iræ. *Ira.*

Reconciliari fratri tuo. — 3. Ad dilectionem mutuam mouent plura. *Amor 4.*

DOMINICA 6. POST PENT.

Text. Marc. 8.

Misereor super turbam.	1.	Deus dicitur pater noster, quia maximè clemens est & misericors. *Deus* 4. 6.
Quot panes habetis?	2.	Qui panes quibus Dominus reficit turbas. *Panis.*
Sustulerunt quod superfuerat.	3.	Gratiæ agendæ Deo pro beneficiis. *Gratiarum actus.*

DOMINICA 7. POST PENT.

Text. Matth. 7.

Attendite, &c. qui veniunt in vestimentis ouium.	1.	Quæ differentia inter legittmos pastores & pseudo-prophetas hæreticorum. *Prædicator.*
A fructibus eorum cognoscetis eos.	2.	Quæ requirantur ad debitè prædicandum. *Propheta* 2.
Non potest arbor bona malos fructus facere.	3.	De arbore bonæ & malæ voluntatis. *Voluntas hominis* 1. 2.

DOMINICA 8. POST PENT.

Text. Luc. 16.

Vocauit eum Dominus suus.	1.	Omnes vocantur ad rationem reddendam. *Vocatio.*
Filij huius seculi prudentiores filiis lucis sunt.	2.	Qui sunt sapientes secundùm seculum. *Sapientes* 1.
Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.	3.	De effectu Eleemosynæ in hac vita. *Eleemosyna* 3.

DOMINICA 9. POST PENT.

Text. Luc. 19.

O si cognouisses & tu. — 1. Intellectus, qui est oculus mentis, excæcatur ex quatuor. *Excæcare* 2.

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. — 2. Quorum esse memor, & quæ agnoscere debet homo. *Homo* 7. 8.

Circundabunt te inimici tui vallo. — 3. Quæ signa punitionis iræ Dei in regna & respublicas. *Plaga* 2.

4. Quantus honor templis adhibendus. *Tabernaculum.*

DOMINICA 10. POST PENT.

Text. Luc. 18.

Alter Pharisæus. — 1. Qui superbi facilè despiciuntur à Deo in oratione.

Publicanus autem stans. — 2. Qui facilè exaudiantur.

Superbia. *Oratio* 3.

Descendit, Publicanus iustificatus in domum suam. — 3. Quomodo quis iustificatur. *Sanctificatio. Iustitia.*

DOMINICA 11. POST PENT.

Text. Marc. 7.

Surdum & mutum. — 1. Quinam surdi sunt ad audiendum verbum Dei. *Verbum Dei* 7.

2. Qui surdi non audiant Dei loquutionem. *Loqui.*

Solutum

Solutum est vinculum linguæ eius. 3. Quibus vinculis ligatur os peccatoris. *Vinculum.*

4. Peccati qui effectus.

Peccatum 9.

DOMINICA 12. POST PENT.

Text. Luc. 10.

Beati oculi qui vident quæ vos videtis. 1. Contemplatione videndi tres sunt gradus. *Contemplatio* 1.

Homo quidam descendens. 2. Homo quomodo à Deo creatus. *Homo* 1. 2.

Infudit vinum & oleum. 3. Sacramenta in vino & oleo designata sunt septem. *Sacramenta.*

DOMINICA 13. POST PENT.

Text. Luc. 17.

Ite ostendite vos sacerdotibus. 1. Peccator quomodo à leprâ peccati mundari potest. *Caro* 2. *peccatum* 7.

Et factum est dum irent mundati sunt. 2. Confessio ad salutem est necessaria. *Confeßio* 2. *Sacerdos* 1.

Non est qui rediret & daret gloriam Deo. 3. Gratiæ agendæ pro acceptis beneficijs. *Gratiarum actio.*

DOMINICA 14. POST PENT.

Text. Matth. 6.

Nemo potest duobus dominis seruire. 1. Seruitus quæ mala, & quæ vitanda.

Non potestis Deo seruire, 2. Seruiendum Deo quomodo, & quæ à Dei seruitio retrahunt. *Seruitus 1. 2.*

Et mammonæ. 3. Auaritiæ quanta seruitus. *Auaritia.*

Quærite primùm regnum Dei. 4. Regnum Dei quomodo acquiratur. *Regnum Dei 2.*

DOMINICA 15. POST PENT.

Text Luc. 7.

Ecce defunctus efferebatur. 1. Mors multipliciter regnat. *Mors 1.*

Et hæc vidua erat. 2. Verè vidua qualiter se habere debet. *Vidua.*

Noli flere. 3. In morte amicorum consolari debemus. *Mors 3. Consolatio 2.*

Noli flere. 4. Voluntas nostra quomodo in morte amicorum, Dei voluntati conformanda est. *Voluntas 3.*

DOMINICA 16. POST PENT.

Text. Luc. 17.

Intrauit Iesus domum principis 1. Hospitibus quæ debeamus. *Hospes.*

Pharisæorum. 2. Detractio grauissimum pec-

catum. *Loqui* 3.

Ipsi obseruabant eum. 3. De oculo inuidentiæ. *Inuidia.*

Sed non poterant respondere. 4. Homines pessimi pessima loquuntur. *Loqui* 2.

Recumbe in nouissimo loco. 5. Superbia quantum vitium. *Superbir.*

DOMINICA 17. POST PENT.

Text. Matth. 22.

Et interrogauit eum vnus legis doctor tentãs eum. 1. Tentare Deum quocumque modo fiat, est illicitum. *Tentatio* 1.

Diliges Dominum Deum tuum. 2. Dilectionis mandatum in quatuor generibus præceptorum in lege continetur. *Lex* 2.

3. Charitatis tituli & epitheta. *Charitas* 1.

Ex toto corde & anima tua. 4. Deus diligendus & quare. *Amor* 4.

DOMINICA 18. POST PENT.

Text. Matth. 9.

Offerebant ei. 1. Infirmitas corporalis multa bona adfert. *Infirmitas.*

Paralyticum iacentem in lecto. 2. Proximo quæ debeamus. *Homo* 5.

Videns autem fidem illorum. 3. Quanta sit fidei vis, cuius intuitu Christus paralyticum sanauit. *Fides* 4. 5.

Remittuntur tibi peccata tua. 4. Potestas remittendi peccata à Christo sacerdotes manet in Ecclesia. *Confessio.*

DOMINICA 19. POST PENT.

Text. Matth. 22.

Qui fecit nuptias filio suo. 1. Nuptiarum nomine intelligitur incarnatio verbi. *Incarnatio.*

Et nolebant venire. 2. Nolle venire est gratiam Dei frustrà recipere. *Gratia* 5.

Iterum misit alios seruos. 3. Vocat nos Deus & quomodo. *Vocatio* 1.

Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? 4. Vestis nuptialis est charitas & vestis virtutum. *Charitas, virtus* 1.

DOMINICA 20. POST POST.

Text. Ioan. 4.

Cuius filius infirmabatur. 1. Quanta humana fragilitas & infirmitas, à qua nec reges nec regiæ proles liberantur. *Humana fragilitas.*

Erat quidam regulus. 2. Regibus & superioribus quænam debeamus. *Magistratus.*

Nisi signa & prodigia videritis, &c. 3. Reguli fides sicut & multorum qualis. *Fides* 2.

Et credidit ipse, & domus eius tota. 4. Fides cui comparatur luci. *Fides.* 3.

DOMINICA 21. POST PENT.

Text. Matth. 18. *Posuit rationem cum seruis suis.*	1. Reuelabit Dominus Deus acta & secreta hominum. *Reuelatio.*
Inuenit vnum de conseruis suis, &c.	2. Inimici diligendi & quo modo. *Inimici,* vide *Dilectio, amor.*
Tenens suffocabat eum dicens, Redde.	3. Temporalia sunt causa contentionis ac litium. *Contentio 2. 3.*

DOMINICA 22. POST PENT.

Text. Matth. 22. *Consilium inierunt Pharisæi.*	1. Consilium malum quantùm noceat. *Consilium.*
Vt caperent Iesum in sermone.	2. Sermò malus & captandus quis. *Sermo 2.*
Quæ est hæc imago?	3. Animæ humanæ quanta excellentia. *Anima 1.*
Quid me tentatis hypocritæ?	4. Quanta vis conscientiæ & Synderesis. *Conscientia.*

DOMINICA 23. POST PENT.

Text. Matth. 9. *Filia mea modò defuncta est.*	1. Mors spiritualis peccati quã noxia. *Peccator 4.*
Confide filia.	2. De virtute spei. *Spes.*
Vidisset tibicines & turbam, &c.	3. Ad mortem peccati impellunt quatuor. *Peccatum.*

Text. Matth. 24.

Erit tunc talis tribulatio.	1. Tempora nouissima erunt periculosa.
	Tempus 1.
Surgent Pseudo-Propheta.	2. Antichristus quis & quod nomen.
Dabunt prodigia.	3. Quæ signa aduentus eius.
Nolite exire, ecce prædixi vobis.	4. Eius ortus, progressus, &c. *Antichristus* 1. 2. 3.

FINIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR Grace & Priuilege du Roy, donné à Paris le 23. Nouembre 1664. Signé, Par le Roy en son Conseil, PETIT-PIED. Il est permis à IEAN DE LAVNAY, Marchand Libraire de nostre bonne Ville de Paris; de faire imprimer vn Liure intitulé, *Syntaxis Moralis, per R. P. F. Guilielmum Oonselium, sacræ Theologiæ Licentiatum, Ordinis Prædicatorum*, pendant le temps de sept années; & deffenses sont faites à tous autres de l'imprimer, sur peine de trois mille liures d'amende, & de tous despens, dommages & interests, comme il est plus amplement porté par lesdites Lettres.

Registré sur le Liure de la Communauté des Imprimeurs & Marchands Libraires de cette Ville, suiuant & conformement à l'Arrest de la Cour de Parlement du 8. Auril 1665. & aux charges & conditions portées par le present Priuilege, à Paris ce 8. Feurier 1665.

Signé E. MARTIN, Syndic.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 25. Feurier 1665.

Les exemplaires ont esté fournis.